MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80313-1

AUTHOR:

UNREIN, OTTO

TITLE:

DE AVIANI AETATE

PLACE:

IENAE

DATE:

1885

Master Negative #

91-80313-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Unrein, Otto,
De Aviani actate; dissertatio ... quam ... edidit Otto Unrein... Ienae, typis A. Neuenhahni, 1885.
63 p. 22 cm.

Thesis. Jena.

Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm
REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-28-91
INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

no. 1

DE AVIANI AETATE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

EDIDIT

OTTO UNREIN
WALTERSDORFENSIS

IENAE
TYPIS A. NEUENHAHNI
1885

HERMANNO · RASSOW
GEORGIO · GOETZ
PRAECEPTORIBVS · DILECTISSIMIS
SACRVM · ESSE · VOLVIT
SCRIPTOR

De Aviani aetate.

De tempore, quo Avianus fabularum auctor floruerit, magna adhuc virorum doctorum fuit dubitatio; atque tanta est opinionum discrepantia, ut unicuique saeculo, quae sunt inter alterum et sextum, a singulis poeta ille ascriptus sit. Cum autem propter antiquarum litterarum historiam non ita exigui momenti esse putemus fabulatoris illius accuratius pernoscere aetatem, totam hanc quaestionem denuo instituere atque retractare et quidnam ipsi ad Aviani aetatem certioribus finibus circumscribendam conferre possimus exponere visum est. Priusquam autem ad hanc rem ipsam accedamus, virorum doctorum, qui ante nos de Aviani aetate iudicia fecerunt, opiniones contemplari liceat: qua opera diligenter suscepta fieri posse arbitramur, ut quae res totam causam contineant, accuratius intellegamus.

Atque ut primum de eorum sententia agamus, qui hunc Avianum cum Avieno illo, qui carmina geographica composuit, confuderunt, huius erroris auctor est Lilius Gregorius Gyraldus, qui in illis de poetarum historia dialogis [1]) has fabulas Avieno attribuendas censuit neque vero pro certo hoc asseveravit, sed ea condicione lata, ne inscriptio nos falleret. Iam hunc secutus Pithoeus [2]) pro certo ac sine ulla dubitatione has XLII fabulas Rufo Festo Avieno ascri-

1) dial. IV p. 191 (ed. Basil. a. 1580).
2) emendatt. in poem. vet. p. 597 init. (ed. Genev. a. 1596).

psit et in editione poematum veterum Avieni carminibus subiunxit. Pithoei autem auctoritati parentes omnes fere, qui postea has fabulas edidere, aut Avieni nomen eis praescripserunt aut Avieni carminibus eas adiunxerunt, in quo numero sunt Petrus Rigaltius (Lugdun. Batav. 1607), Iohannes de Tournes (Genevae 1607), alii, de quibus conferas velim Cannegieteri dissertationis cap. I.[1]) Atque adeo illius aetatis virorum doctorum animis error ille a Lilio Gyraldo commotus inveteravit atque inhaesit, ut et Iohannes Vossius[2]) a Rufo Festo Avieno has fabulas esse compositas statueret, et anno MDCCXLVII Joh. Frid. Fischerus ('de Phaedro eiusque fabulis prolusio' p. 53 sq.) accuratius demonstrare conaretur ac pro certo affirmaret has fabulas Avieno dandas esse neque tamen genuinam earum formam aetatem tulisse.

Quae Fischeri sententia iam quindecim annis ante quam in lucem provenit, a Cannegietero in illa 'de aetate et stilo Flavii Aviani' dissertatione refutata erat, qui libellus Fischero omnino ignotus videtur fuisse. Atque primum quidem argumentum depromptum ex Avieni descriptione orbis terrae, quas primitias Avieni esse contendit Cannegieterus inductus illius operis versibus VIII—X adeo suspicione non caret, ut facillime refutari possit (cf. quae adnotaverunt ad h. l. Schraderus et Wernsdorfius). Verum eo gravius hoc est: quoniam a libris manuscriptis orbis terrae descriptionis auctor uno consensu Avienus vocatur, fabularum vero scriptorem Avianum esse omnium fere codicum eorumque optimorum auctoritate confirmatur, nihil a libris manu exaratis recedere duosque illos poetas accurate distinguere debemus. Ceterum etiam inter rationes metricas et stilum eorum tantum intercedit discrimen, ut vix possis credere ab uno auctore et has fabulas nudas ac simplices et carmina illa sublimia atque altissime incedentia esse composita. Sed de eorum sententia, qui cum Avieno Avianum confuderunt, satis egisse nobis videmur; veniamus nunc ad eorum iudicia[1]), qui Avianum ab Avieno aperte discernentes qua ille fuerit aetate, coniectare temptaverunt.

1) Avieno autem hos omnes fabulas illas vindicasse, id eo magis mirum est, quod iam Neveletus, cum in omnibus codicibus, quos inspexerat, Aviani nomen his apologis praescriptum invenisset, num Rufo Festo Avieno fabulae illae tribuendae essent, dubitaverat et Caspar Barthius eodem nisus argumento plane et aperte Avienum et Avianum distinguendos esse monuerat.

2) de hist. lat. II c. 9 p. 202 sq. (ed. Lugdun. a. 1653).

Atque accuratissime de Aviani aetate primus egit certioribusque eius tempora circumscribere finibus conatus est Henricus Cannegieter, qui Antoninorum temporibus Avianum assignavit. Hanc autem sententiam certis argumentis firmasse doctissimus ille vir sibi visus est, quorum quod momenti summi esse putat, e praefatione ad Theodosium conscripta repetiit. Quam cum ita instituerit Avianus, ut clarissimorum fabularum scriptorum, qui ante eum fuere, nomina referret, omnes qui ante sese exstitissent fabularum scriptores, in illa praefatione enumerare Aviani fuisse consilium ratus in hac re rationem repperisse visus sibi est Cannegieterus, qua ad Aviani aetatem definiendam uteretur. Mentio enim fit a nonnullis scriptoribus Titiani cuiusdam, quem fabulas Aesopeas sive apologos composuisse tradunt. Qui quod in Aviani illa epistula non affertur, nulla alia re explicari posse Cannegieterus arbitratur, nisi si post Avianum floruisse eum statuimus; nam de industria ab Aviano Titianum esse neglectum, hoc eam ob rem reiecit, quod satis claras apud Romanos atque viris eruditis probatas Titiani

1) Cuius primi de hoc poeta iudicium exstat Neveleti haut ita benevolum amicumque est, quippe qui Avianum non tanti fecerit, in quo emendando multum tempus consumeretur: illum enim recentiorum temporum esse neque exemplar imitandae Latinitatis praebere. Idem fere iudicium atque Neveletus de Aviano Caspar Barthius fecit (adversar. l. XXVII, 4; XXXIX, 7 et 13; L, 7; XLVI, 16), cum posteriori saeculo eum tribueret interque poetas Christianos numeraret.

fabulas fuisse ex omnibus locis, quibus de eis mentio fieret, appareret. Itaque primum id agendum Cannegietero visum est, ut Titiani aetatem certis finibus circumscriberet: cum autem duos Titianos, patrem et filium, discernendos esse moneat Iulius Capitolinus (vit. Maximin. Iunior. I, 5), Titiano patri certis argumentis non allatis has fabulas Cannegieterus ascripsit [1]) et eam protulit sententiam, ut inter Phaedrum, quem floruisse Tiberio vel Claudio imperitantibus verisimillimum est, et Titianum, qui exeunte saeculo p. Chr. n. altero fuit, Avianum floruisse statueret; ad fabulatoris autem illius aetatem augustioribus finibus circumscribendam utitur stilo Aviani, ex quo ut ultra Hadriani vel Antonini Pii aetatem referatur Avianus, fieri non posse contendit atque exemplis allatis [2]) demonstrare conatur [3]).

Hanc exposuit sententiam Cannegieterus, quae quam infirmis munita esset praesidiis, post annos sexaginta Wernsdorfius (poet. lat. min. V pp. 663—670) demonstravit; qui

1) Hanc sententiam O. Crusius (stud. Lips. II pp. 242—244) omnibus locis, quibus de his Titianis commemoratur, comparatis refutavit atque Titiano iuniori, qui sub imperatoribus Alexandrum Severum insequentibus fuit, has fabulas pedestri sermone compositas maiore iure dandas censuit secutus Vossium de hist. poet. lat. II c. 10 p. 173 i. fin. (ed. Lugdun. a. 1651).

2) Exemplis illis congestis nihil aliud effecisse mihi quidem videtur Cannegieterus, quam ut a Barthii aliorumque invectionibus, qui nimiam elegantiam munditiamque a serioris aevi scriptore postulantes ut barbaras nonnullas voces elocutionesque reprehenderant, Avianum defenderet

3) Neque id praetermisit Cannegieterus, ut fabularum Aviani stilum optime convenire Antoninorum aetati comprobare et aliorum, ut Barthii et Neveleti, de Aviani aetate iudicia refutare studeret. Illos enim viros deceptos esse promythiis epimythiisque fabulis adsutis a ludimagistris et grammaticis et mendositate librorum ad illud tempus exstantium. Minus vero vitiatam esse praefationem, quae eam ob causam minus et a discipulis et a magistris tentata esset, quod eam praecipere discipulis magistri in scholis non consuevissent. Cuius praefationis stilum omneque dicendi genus optime Antoninorum temporibus convenire; neque enim quidquam in ea inesse, quod ut illi aevo parum aptum merito reprehendi possit.

cum sententiae illius fundamentum e pravo iudicio profectum labefactaret, totum Cannegieteri aedificium, ut ita dicam, subvertit. Is enim docuit Avianum in illa epistula non omnes fabularum scriptores, qui ante se fuissent, enumerare voluisse, sed id tantum egisse, ut, cum clarissimos fabulatores afferret, illam materiem, cui nominis memoriam mandasset, commendaret lecturis et quae exemplaria sequeretur, referret. Ac certe in hac re doctissimo illi viro assentiri debemus, nam primum aliter et plenius, si omnium auctorum qui scripserunt fabulas Aesopeas, nomina recensere Avianus voluisset, series ordoque fuisset constituendus; deinde qui putas factum esse, ut in fabulatorum numerum referret Socratem (i. e. Platonem) et Horatium, qui interdum pro exemplo, ut ait ipse Avianus, sermonibus suis fabulas admiscuerunt? Est autem haec illius loci sententia, ut primum Aesopum materiae illius ducem et auctorem praedicet, quem Apollinis Delphici responso impulsum esse ad fabulas enarrandas ait, deinde quanti viri sapientia insignes, in quo numero affert Socratem et Horatium, fabulas fecerint, doceat; tum eos commemorat, qui fabularum corpora ediderunt, ex quibus Babrium et Phaedrum, quippe quorum ille Graecorum, hic Romanorum clarissimus fabulator fuerit, nominat. Quod in his Titianum non affert, vides iam quam non mirum sit; qui enim potuit Aviani hoc loco interesse eius nomen ponere, cui alia res nulla laudi dari poterat nisi quod Babrii fabulas trimetris compositas exili i. e. pedestri sermone in linguam Latinam convertisset [1]). Iam quid ipse de Aviani fabulatoris aetate sentiat, exponit Wernsdorfius, cum Macrobii Theodosii, Saturnaliorum scriptoris, temporibus eum ascribat; [2]) nam quod

1) Auson. epist. 16 init. et vv. 79 sqq.

2) Eandem iam ante Wernsdorfium sententiam protulerant et Job. Vossius (de hist. poet. lat. II c. 9 p. 203 ed. Lugdun. a. 1651) et Petrus Pithoeus (emend. ad poem. vet. p. 597 ed. Genev. a. 1596) et Jacobus Sirmondus (ad Sidon. Apollin. p. 4); idemque ipsum neque horum secutum auctoritatem invenisse se autumat Paulus Colomesius

iudicium in praefationue de suo Theodosio fecerit Avianus, in Macrobium virum doctissimum optime quadrare [1]. Quae Wernsdorfii sententia per quinquaginta annos viguit atque omnibus fere viris doctis probata est [2], donec Lachmannus [3]) anno huius saeculi quadragesimo quinto iudicio illi obstitit, Cannegieterusque quam protulerat opinionem denuo defendit. Neque eo, quod summum arbitratur esse Cannegieterus, nititur Lachmannus argumento, quod Iulii Titiani apologos Avianus non commemoraverit; sed cum cavendum esse dicat, ne sententiam male firmatam et specie falsam continuo reiciamus, primas partes non diligentiae, sed iudicio et sensui tribui debere contendit, quo praesidio usus in plerisque libelli partibus nobiliorem quendam antiquitatis colorem senseris [4]. Quibus rebus praemonitis ita instituit argumentationem Lachmannus, ut nonnullas fabulas ab iis rebus, quae minus Antoninorum aetati congruant, purget, cum omnia quae sunt a bonorum poetarum usu aliena, aut emendet aut expellat. Quae remedia cum quattuor fabulis adhibuisset easque in pristinum statum restituisse sibi visus esset ita, ut nihil in eis superesset, quod Antoninorum temporibus dari non posset, hoc fecit iudicium: habere has fabulas tantam orationis integritatem et elegantiam, ut saeculo secundo rectius quam posteriori tribuerentur, si modo ab innumeris iisque gravis-

---

(opusc. κειμήλ. litt. ed. Ultraiect. a. 1669 p. 90 sq. (c. 38), verum omnes hi Avienum harum fabularum vocantes auctorem.

1) Praeterea Avianus si re vera Macrobii familiaris fuit, coniectura colligere doctissimus ille vir sibi visus est Flavianum nomen esse ei dandum, quia sic appelletur unus ex confabulatoribus Saturnaliciis Macrobii, quod nomen librariorum vitio in duo nomina Flavii Aviani distractum esse; de qua opinione conferas velim quae docuit Lucianus Mueller de fab. Phaedr. et Avian. lib. p. 31.

2) cf. Kerlerum in Pauli RE III p. 413 sq. et Baehrium hist. litt. rom. p. 490 sq. (ed. III).

3) ind. lectt. aest. Berol. a. 1845.

4) Hoc iudicium rectissimum; sed quomodo haec res intellegenda sit, infra accuratius exponemus.

simis vitiis liberarentur et quae ab aliis manibus accessissent, removerentur. Et quam rationem in fabulis illis quattuor emendatis ingressus erat, eandem iniit Lachmannus in libello Aviani edendo, quae editio minus quam ceteri Lachmanni libri viris doctis probata est [1].

Primus autem hanc Lachmanni sententiam leniter impugnavit Hertzbergius in recensione de Lachmanniana Aviani editione conscripta (Philologus II (a. 1847) p. 588) [2]; ac iam paulo acrius in Lachmanni rationem invectus est Lucianus Mueller in illo quem de re metrica poetarum Latinorum scripsit libro (p. 55); et quam paucis primum protulerat sententiam iterum illustravit confirmavitque in illo de Phaedri et Aviani fabulis libello, quo loco tam multa quarti quintique saeculi dictionis metricaeve propria inveniri dicit, ut nisi prorsus novum suo periculo fingere sustinuerit quis Avianum, tollere ea coniectando nequeat. Idem fere de Aviani aetate iudicium fecit Froehnerus, qui in praefatione Aviani editioni praemissa (p. XII) rusticissimum eum scriptorem appellat quintique saeculi tam esse dicit quam possit. Nec multo aliter sensit Otto Keller, [3]) cum exeunte quarto vel ineunte quinto saeculo eum floruisse statueret. Atque inferiori etiam saeculo Avianum assignavit Édélestand du Méril [4]), cum sexto p. Chr. n. saeculo fuisse poetam illum contenderet. Wernsdorfii autem sententiam repetiit is qui ante paucos hos annos eandem quaestionem attigit Aemilius Baehrens [5]), huius iudicii rationes commemorans et sermonis proprie-

---

1) cf. L. Mueller de Phaedr. et Avian. fab. lib. p. 33 med. et Schenkelium in annal. gymn. Austr. XVI (1865) p. 398 init.

2) cf. quae ad haec respondit Lachmannus in comment. ad Lucret. I v. 125 (p. 25 ed. II a. 1855).

3) Pauly RE² p. 1326; Fleckeisen. annal. suppl. IV p. 410 sq.

4) poésies inédites p. 95 sqq. Hunc librum ut inspicerem, facere non potui.

5) Miscell. crit. p. 176 sq.; Poet. lat. min. V p. 31.

tates et licentias metricas, quibus fieri vix posse contendit, ut priori quam quinto saeculo fabulae illae attribuantur.

Ita quoniam omnium qui adhuc de Aviani aetate iudicia fecerunt, sententias perlustravimus et arbitrio magis iudicioque quam probis certisque rationibus eas esse nisas vagarique ab altero p. Chr. n. saeculo usque ad sextum cognovimus, tandem aliquando has aliorum sententias, ne auctoritatibus commoti videamur, relinquamus et videamus, quidnam ipsi ad Aviani aetatem certioribus finibus circumscribendam, quoad in tali indiciorum inopia fieri potest, conferre possimus. Cum autem omnibus aliorum scriptorum de Aviani aetate testimoniis destituti atque orbati simus, num ipse Avianus in fabulis qua fuerit aetate ullis indicaverit verbis, investigemus; sed ne ex his quidem fabulis certiora discimus, nisi quod inde, quod in praefatione (p. 4, 17 Fr.) Phaedri et Babrii fabulatorum ipse mentionem fecit, illis poetis posteriorem aetate fuisse Avianum apparet. Ac iam hac re Cannegieteri Lachmannique de Aviani temporibus sententia refutatur: nam non primo p. Chr. n. saeculo, sed tertio floruisse Babrium post multorum virorum curas atque studia egregia quam de Babrii aetate conscripsit dissertatione Otto Crusius [1]) demonstravit evicitque, ut haec

1) Stud. Lips. II pp. 127—244. Regem autem illum Alexandrum, quem in prooemio alterius fabularum libri (p. 66 i. fin. Eberh.) Babrius commemorat, Alexandrum Severum esse Crusius statuit: gravioribus vero nisus argumentis K. J. Neumannius (Mus. Rhen. XXXV, 2 [1880] p. 301 sq.) angustioribus finibus Babrii aetatem circumscripsit, cum filium illum Alexandri regis, cui alterum fabularum librum Babrius dedicavit, Elagabalum esse censeret, ut anno p. Chr. n. ducentesimo decimo septimo vel octavo hanc fabularum partem Emesae Elagabalo Babrium dedicasse statuendum sit. — Iam aliam in Aviani praefatione rem, quae in hanc sententiam optime quadrat Crusius (l. c. p. 238 adnot. 1 et 3) se invenisse iure meritoque arbitratus est; cum enim Avianus dicat haec (p 4, 19 sqq. Fr.): 'de his (scil. fabulis Aesopicis) ego ad quadraginta et duas in unum redactas fabulas dedi, quas rudi Latinitate compositas elegis sum explicare conatus' haec verba: 'quas rudi Latinitate compositas', ceteri ita interpretati sunt, ut ad Aviani fabulas ea pertinere illumque

quaestio obscurissima tandem ad finem adducta et profligata esse censenda sit.

Itaque quoniam vidimus nihil aliud de temporibus, quibus ipse floruerit, disertis verbis Avianum patefacere nisi post Babrium fabulas se conscripsisse, et maxime probabile esse intelleximus etiam Titiano paraphrasis auctore posteriorem eum fuisse: ex ipsarum harum fabularum indole num quid enucleari possit, quo ad poetae aetatem angustioribus finibus circumscribendam utamur, experiamur necesse est; atque ut cetera nunc omittamus, quae ad hoc adhibere liceat, prima omnium atque naturalis quaedam carminum mensio in legibus numerorum quas secutus est auctor, posita est, ut a vero non aberraturos esse nos existimemus, si primum in Aviani rationes metricas inquisiverimus.

Atque in universum de Aviani versuum pangendorum arte hoc iudicium faciendum est non in pessimis poetarum Latinorum eum esse habendum; quae in versibus componendis levitas et elegantia inde profecta est, quod summo cum studio atque diligentia et Vergilii et Ovidii carmina relegit illorumque poetarum vestigia quam accuratissime pressit. Verum ne longior fiat disputatio, de Aviani arte metrica accuratius agere omisimus [1]); eas tantum rationes metricas

ipsum rudem sermonem suum dicere censerent: sed Crusius hunc locum recte ita intellexit, ut paraphrasin pedestrem fabularum Aesopearum eamque Titiani illius, de quo supra (p. 7) commemoravimus, significatam esse statueret, ex qua fabulas XLII Avianus sese deprompsisse depromptasque elegis explicasse diceret.

1) Abstinuit Avianus hexametrum terminare voce monosyllaba (7, 1 et 36, 17 spurii versus sunt; 14, 13: 'si quem' ut unum verbum et effertur et perscribitur, ceterum cf. Cannegieteri huius loci emendationem), tantamque aequabilitatem atque elegantiam ex optimorum poetarum auctoritate affectavit, ut voces tribus syllabis ampliores in hexametri fine non admitteret, pentametrum nisi verbis disyllabis Ovidium et Tibullum secutus (cf. Luc. Mueller de re metr. p. 224 sq.) non terminaret.

Summa diligentia eam legem observavit, quam praestantiores poetarum Romanorum secuti sunt, ut in hexametri fine accentus metricus cum grammatico congrueret.

tractare in animo est, quibus ad aetatem poetae illius definiendam uti queamus.

Ac primum quidem commemorandum est nonnullas syllabas finales, quae poetis classicis productae a quarti quintique saeculi poetis corripiuntur, ab ipso Aviano breviatas esse, cuius rei exempla inveniuntur in vocabulis compositis, quae a voce 'par' descendunt, et in 'velis' forma, quae ad 'velle' redit. Exstant autem exempla apud Avianum haec:

11, 5: dispar erat fragili et solidae concordia motus
23, 8: cum spes in pretium munera dispar agit
18, 10: tantorum solus viribus impar erat
3, 6: rursus in obliquom neu velis ire pede [1])
23, 10: sive decus busti seu velis esse deum

Hos omnes versus, in quibus syllabae illae correptae inveniuntur, cum parum in suam ipsius de Aviani aetate sententiam quadrarent, Lachmannus delevit atque a medii aevi

---

Elisiones magis vitasse quam appetisse Avianus videtur, nam ut raro eas admisit ita longis elidendis ferme abstinuit; unde idem quod aliis quoque rebus comprobatur, apparet seriori aevo Aviani fabulas tribuendas esse; siquidem recte iudicavit L. Mueller l. c. p. 281 sq. De caesuris optime iam egit L. Muellerus (l. c. p. 198), cum tres illas caesuras, quae legitimae versus heroici apud Romanos habentur, solas ab Aviano admissas esse diceret; nam quod unus versus restat ab his normis recedens: 35, 16: 'sic mox alta neglecta cubant atque ordine verso', ut et generali caesura semiseptenaria et secunda et tertia trochaica versus incidatur, ut iam aliis causis suspiciones movet, ita ea re, quod ab Aviani legibus metricis prorsus alienus est, ab interpolatore additus convincitur.

Iam hoc commemorandum est, maximis in deliciis habuisse Avianum vocabula ab iisdem vel consona vel vocali incipientia continuare; nec minus idem delectatus est versibus ita conformatis, ut ea syllaba, quae priorem versus partem terminat, et quae versus finem efficit, similiter sonent. Qui versus, quibus leoninis nomen a grammaticis inditum est, cum iam apud aureae aetatis poetas haud ita rari inveniantur, sed casu potius nati, extremis demum Latinitatis temporibus magis magisque in usum venerunt ita, ut consilio atque dedita opera quam plurimos eius generis versus confingere poetae gauderent.

1) sic Schenkelius ex coniectura optime inventa.

interpolatore quodam subditos esse censuit; ac certe infimae Latinitatis haec propria sunt neque ante Ausonium reperiuntur [1]); sed ab eo tempore haec licentia irrepsit pauloque post viguit [2]). Itaque maiore cautione atque subtiliore consideratione si utimur, ita nobis progrediendum est, ut, si aliae praeter illam difficultates inexplicabiles in locis illis insint, hos versus deleamus atque a scriptore abiudicemus; verum si omnia bene procedant neque aliis simul rebus suspicio moveatur versum suppositum esse, ei tempori, quo tales res in usum veniunt, auctores attribuamus; quam ad quaestionem profligandam ex re videtur esse, ut in singulos locos accuratius inquiramus et quo iure Lachmannus eos uncis incluserit videamus.

Iam ut proficiscamur a fabulae XI versibus IX et X:

dispar erat fragili et solidae concordia motus,
incertumque vagus amnis habebat iter,

hoc distichon ut nugatorium Lachmannus eiecit; neque tamen id supervacaneum est adeo, ut eo supersedere queamus, quippe quo ad intellegendam totius fabulae condicionem narrationemque quae necessaria sunt exponantur. Dispari enim aeream et luteam ollam cursu i. e. diversa celeritate aqua ferri non per se ipsum patet neque omnibus tam notum est, ut hoc a poeta additum nugatorium atque ineptum sit; deinde cum narret poeta incertum iter amnem habere i. e. flexuosum esse fluvium, quomodo fieri potuerit, illustrat, ut, quamquam diversa celeritate ollae fluctibus agebantur, periculum esset, ne inter se collidérent, itaque aerea testam moneret [3]), ne prope sed longius a se iter faceret. Ceterum etiam ea re, quod in versu VII legitur 'tamen', indicatur, in

---

1) cf. Luc. Mueller de re metr. p. 341 sq.
2) Auson. idyll. 11, 54; Ennod. carm. II, 136, 8.
3) legendum esse: 'iubebat sociam longius ire viam', infra docebimus.

versibus proximis narratum fuisse de ratione qua inter se ollae collidere potuerint.

Nec minus necessarium est hoc distichon, quod una cum antecedente Lachmannus delevit, nimirum nisus ea re, quod in Babrii fabula XXXIV non tam ampla descriptio exstet quam in Aviani fabula, in qua leguntur haec:

18 sqq.: dum metus oblatam prohibet temptare rapinam,
et coniuratos horret adire boves,
et quamvis audax fatisque immanior esset,
tantorum solus viribus impar erat.

Sed si in universum Aviani fabularum amplitudinem atque abundantiam cum fabularum Babrianarum amplitudine comparabimus, facile videbimus, cum Babrius brevissimus ac prope exilis sit in materia enarranda, maxima verborum copia atque descriptionis abundantia uti Avianum [1]), ut nihil sit mirandum nec in eo haerendum, si singulas res apud illum vix attactos, apud hunc uberrime enarratas invenimus. Atque hunc ad locum ut redeat oratio, quid habet miri, quod eam rem, in qua summa est totius fabulae, concordiam dico eiusque eventum, accuratius describit uberiusque illustrat poeta? Quid? concordiae eventu amplius depicto quod ex fabula illa documentum capi possit nonne multo evidentius ante oculos ponitur atque quasi animis inculcatur?

Atque tertium eiusdem rei exemplum exstat in fabulae XXIII versu VIII, qui sic in codicibus perscriptus est:

cum spes in pretium munera dispar agit.

Verum totus ille locus maxime depravatus est, ut sanam sententiam ex eo elicere vix possimus; praeterea id recte monuit Schenkelius (annal. gymn. Austr. a. 1865 p. 407) ante versum huius fabulae septimum unum vel duo disticha intercidisse, id quod fabulae Babrianae (Babr. I, 30) compa-

1) cf. Avian. 3 c. Babr. 109; Av. 7 init. c. Babr. 104; Av. 14 init. c. Babr. 56; Av. 15 init. c. Babr. 65; Av. 18 c. Babr. 44; Av. 34 c. Babr. 126; Av. 35 c. Babr. 35; Av. 37 c. Babr. 100.

ratione evincitur atque confirmatur. Certe deleri nihil debet — num statuis eos qui aliorum libros suis ipsorum versibus inquinavere, addidisse ea, quae ne ipsi quidem intellexerint nec quisquam intellegere possit? — sed potius laborandum est, ut ingenio ac studio inveniatur, quibusnam corruptelis hi versus depravati et qua medela sanandi sint.

Iam eiusdem loci in versu X altera inest syllabae longae finalis correptio, qua 'velis' vocis ultima breviatur:

sive decus busti seu velis esse deum,

quam licentiam ut removeret Lachmannus ita versum corrigendum censuit:

sive decus busti seu deus esse velis,

Froehnerus hanc lectionem coniectura inventam recepit:

sive decus busti sive locasse deum.

Sed hae emendationes omnino supervacaneae sunt; nam in hoc versu nullum esse vitium fabulae Babrianae XXX versu X comprobatur. Eo autem magis hunc locum integrum ut relinquamus altero eiusdem rei cogimur exemplo:

f. 3, 6: rursus in obliquos neu velis ire pedes;

quem versum Withofius coniectura tentavit hac:

rursus in obliquos ne iuvet ire pedes,

Froehnerus ita correxit, ut scriberet:

rursus in obliquos neve tuere pedes,

Lachmannus vero pentametrum una cum insequenti hexametro eiecit. Sed idem fere quod iam superiore loco diximus, de eius modi versuum eiectionibus statuendum est; neque hoc loco quisquam audebit versus illos expellere, cum et optimi sint et cum antecedentibus et cum insequentibus arctissime cohaereant. Hoc libenter concedimus eam versus formam quae in codicibus exarata est intellegi vix posse; qui enim quisquam dicere potest: 'in obliquos pedes ire?' Quod cum vidisset Schenkelius ita restituendum versum censuit:

rursus in obliquom neu velis ire pede,

quae scriptura et sententiae et linguae Latinae indoli aptissima est atque inde summum fulcrum habet, quod apud Vergilium, quem summa diligentia imitatum esse Avianum infra docebimus, idem versus initium exstat; nam in Georgicon libr. I versu IIC legimus haec:

rursus in obliquom versu perrumpit aratro.

Transeamus nunc ad aliam syllabarum finalium commutationem, quae et ipsa a quarto saeculo esse coepit, ut ea tertiae declinationis vocabula, quae in 'es' exibant, breviandi causa finirentur in 'is'. Neque tamen hoc loco, qui est fabulae XXXV versus XIV, 'is' terminatio a codicibus exhibetur, sed 'es', ut sit ibi perscriptum:

mox quoque dilecti succedit in oscula fratris
servatus vetulis unicus heres avis.

Verum ei rei, utrum 'heres' an 'heris' sit scriptum, non multum tribuendum est:[1]) hoc certe constat vocis huius ultimam corripi. Ac ne hos quidem versus Lachmannus excludere neglexit, nimirum nulla alia causa perductus quam ut hanc correptionem sane ab Antoninorum temporibus alienam removeret. Sed ne hoc quidem loco mihi persuasit: nam praeterquam quod similium rationum compluria exempla apud Avianum iam invenimus, hoc loco etsi concedimus integra fabulae sententia versus illos omitti posse, melius tamen eis additis concludi atque absolvi fabulam neminem esse puto qui neget.

Iam ad aliud rationum metricarum genus quas alienas a classicorum poetarum carminibus Avianus adhibuit ut veniamus, in fabulae XXXV versu I:

fama est quod geminum profundens simia partum
dividat in varias pignera nata vices,

1) In codice Cabeliavii, siquidem aliquid ei tribuimus, alteram eiusdem generis formam exstitisse schedis Gudianis docemur; nam in fabulae XXIX versu XIX scriptum ibi erat non 'hospes', quam lectionem ceteri codices exhibent, sed 'hospis'.

illud 'pro', quod est in voce 'profundens', producitur; quae ultimae Latinitatis poetarum consuetudo est.[1])

Verum summi momenti hoc est, quod pentametri mediam syllabam haud raro licentius Avianus habuit, cum aut hiatum aut brevem syllabam in illa sede admitteret, quibus licentiis observatis facile serioris aevi poetam deprenderis.

Iam primum de hiatu nobis agendum est, de qua ratione affirmat L. Muellerus de re metr. p. 311 i. fin.: 'at e ceteris abstinuere hiatu in arsi adhibendo Tullius .... Avia-

1) Hanc productionem ut ex Aviani libello deleret Lachmannus ita versum restituit:

fama est ut geminum una profundens simia partum,

quam coniecturam recipere linguae Latinae indole vetamur. Atque ut hanc lectionem defenderet, Lachmannus motus est ea re, quod apud classicos quamquam in nonnullis vocabulis illud 'pro' usquequaque producitur, in plerisque tamen semper corripitur, cuius rei testis est Gellius (noct. att. II, 17). Atque in verbo profundendi 'pro' praepositio semper breviatur exceptis tribus locis apud Catullum (64, 202), Lucanum (VII, 159), Claudianum (47, 14) exstantibus. Observavit autem Muellerus (de re metr. p. 363) atque exemplis congestis demonstravit apud poetas christianos hanc productionem, quae rarissima apud classicos invenitur, magis magisque viguisse.

Contrarium autem huius rationis exemplum exstare verisimilitudine quadam ut statuamus adducimur. Fabulae enim XXIII versus I in codicibus sic exhibetur:

venditor insignem referens de marmore Bacchum,

ut facile intellegamus in voce 'referens', quippe quae in hanc sententiam non quadret, vitium latere. Quod cum vidissent, Lachmannus eumque secutus Froehnerus reposuerunt:

venditor insignem arte ferens de marmore Bacchum,

quae lectio quamquam sententiae egregie satisfacit, aliquanto tamen difficilior videtur esse, ut magis praeferamus quae simplicitate et commutationis lenitate commendatur Schenkelii emendationem scribentis: 'proferens' comparato illo Horatii loco (carm. IV, 8, 6): quas (scil. artes) aut Parrhasius protulit aut Scopas. Quam lectionem si probaverimus — ac profecto magnam ea habet probabilitatis speciem —, statuamus necesse est 'pro' praepositionem corripuisse Avianum adversus classicorum poetarum leges metricas,qui usquequaque producta in voce proferendi illa utuntur syllaba; quam rationem metricam poetarum christianorum esse Muellerus (de re metr. p. 363) observavit.

nus'. Haec observatio recte se habet; neque tamen abstinuit Avianus hiatu admittendo in media pentametri syllaba, cuius rationis versus apud eum leguntur hi:

41, 8: immemor illa sui: amphora dicor, ait.
28, 12: quam ferus in domini ora sequentis agat.
26, 10: quae coeptum volucri explicuisset opus.

Atque ut a primo exemplo initium faciamus, in hoc versu omnia recta ac proba sunt neque quisquam offendit. Sed iam in altero exemplo haeserunt viri docti, et quamquam omnium librorum consensu ea quam ascripsimus lectio confirmatur, variae medelae versui illi adhibitae sunt. Lachmannus autem hunc in modum versum emendavit:

quam in domini aura ferens ora sequentis agat;

quam lectionem indignam Aviani elegantia esse demonstrasse mihi videtur Muellerus (de re metr. p. 293), cum in prima arsi hexametri quamquam non multis exemplis admissam esse synizesin ab Ennio Lucilio Lucretio Catullo Horatio, in reliquis classicorum poetarum et in christianorum libris paucissima inveniri doceret talis inelegantiae exempla, quae ab Aviani in ceteris rebus levitate prorsus abhorret; nam cum in elisionibus admittendis parcissimum esse Avianum supra docuerimus, facere non possumus, ut hanc ei ultro oggeramus inelegantiam, cuius nullum aliud in illis fabulis exemplum exstat; qua ipsa de causa reicienda est ea emendatio, quam proposuit Aemilius Baehrens:

quam in domini Boreas ora sequentis agat.

Sed ne Muellerus quidem hunc hiatum Aviano dare animum inducere potuit atque alia medela adhibita locum ita correxit, ut scriberet:

quam ferus in domini corpora ventus agat. [1])

---

1) Hac emendatione meliorem huius versus formam factam esse metricam Muellero libentissime concedo; sed ea recepta sententiam deteri atque orationis vim elidi non vides? quis enim est, qui multo efficacius ad huius fabulae condicionem neget dicta esse haec: in ora domini sequentis ferus arenam agit, quam illa: in corpora domini ventus arenam agit?

Quas omnes emendationes omnino reiciendas esse censeo: si locus nullam offensam habet facillimeque intellegitur, nihil est mutandum, sed recipienda lectio codicum omnium consensu comprobata; praesertim cum optime ea in sententiam quadret; nam eam figuram hoc loco admisit Avianus, ut subiectum quod dicunt grammatici, non in enuntiatione generali, sed in suspensa collocaret.

Denique in eandem rationem cadere videtur fabulae XXVII versus X, cuius quamquam a plerisque codicibus haec forma exhibetur:

qua coeptum volucris explicuisset [1]) opus,

a nonnullis tamen libris hae variae lectiones suppeditantur: in codice enim V(ossiano), qui optimae notae est (nec non in B, qui recentiore tempore exaratus est), exstat non 'qua', sed 'quae'; atque in codice P, qui et ipse summa fide dignus est, exaratum legimus: 'volucri', non 'volucris'. Quas optimorum librorum lectiones inter se si comparaverimus, facile ad eam ducimur opinionem, ut hanc versus formam a Froehnero propositam genuinam fuisse arbitremur:

quae coeptum volucri explicuisset opus;

quam posterioribus temporibus librarios, ut hiatum tollerent, in eam quam maior librorum pars exhibet, correxerunt, cuius tamen vestigia in nonnullis librorum vetustiorum exstant. Et sane, si hanc formam reposuerimus, vis pondusque orationi additur; nam multo gravior atque aptior huic loco is est sermo, quo prudentia in personam constituatur et tamquam agens atque res perficiens inducatur.

Verum nunc transeamus ad eam rationem metricam in Aviani versibus exstantem, qua certissima conclusio de auc-

---

1) Hoc vocabulum corruptum esse Aemilius Baehrens censuit, quamquam in hac re minus ei assentior.

toris illius aetate fiat. In pentametri enim media syllaba haud raro id sibi licere fabulator ille existimavit, ut brevem admitteret, quae arsis vi produceretur [1]). Sed priusquam ad versus illos ipsos tractandos accedamus, agendum est de duobus locis, qui quamquam primo aspectu in eandem prorsus rationem cadere videntur, paulo tamen aliter comparati sunt. Sunt autem versus hi:

29, 22: tam diversa duo qui simul ore ferat [2])

17, 6: nunc tibi, qualis ego [3]), nuntius iste refert.

Quoniam priore loco vocabulum 'duo' ab omnibus codicibus exhibitum invenimus, altero loco 'ego' reponendum esse maximam verisimilitudinis speciem habet, statuamus necesse est utriusque vocabuli posteriorem syllabam ab Aviano productam esse; quae ratio a classicorum poetarum legibus aliena — hi enim vocum 'duo' et 'ego' ultimam corripiunt — poetarum christianorum est, qui relapsi ad imitationem anti-

1) cf. de hac re quae disputavit L. Muellerus de re metr. p. 331 sq.; neque tamen eius comprobanda est sententia qua ea, de qua agimus licentia abstinuisse Avianum contendit.

2) Cannegieterus, cum vocis 'duo' ultimae syllabae productio nimis dura ei videretur, censuit (verum id dubitanter) reponendum:

tam diversa uno qui simul ore ferat;

quam scripturam, cum et in sententiam et in metrum optime quadret, si a codicibus exhiberetur, in ordinem recipere ne tantillum quidem dubitarem; sed cum omnium codicum auctoritate alia lectio confirmetur et ipsa optima atque aptissima, a codicum partibus nos stare oportet; aliter enim si faciemus, non librariorum errores, sed scriptoris ipsius verba emendabimus atque ad nostrum ipsorum sensum corrigemus.

3) Hunc versum in codicibus sic exaratum:

nunc tibi, qualis eram, nuntius iste refert,

quippe qui et syntaxeos (cf. Cannegieter. diss. c. XXII init.) et sententiae vitio laboret, integrum non esse perspicientes iam plerique qui Avianum edidere, emendatione sanare studuerunt, velut Lachmannus, qui reposuit: 'qua lateam', et Froehnerus, qui scripsit: 'qualis eam.' Neque tamen haec neque illa emendatio huius loci sententiae satisfacit, ut non dubitemus in Schenkelii sententiam transire in 'eram' verbi locum 'ego' substituentis; quae lectio et in syntaxin et in sententiam optime quadrat.

quissimorum voces in 'o' exeuntes ambigua rursus adhibuerunt quantitate, cuius rei exempla congessit L. Muellerus de re metr. p. 335 sub fin. Quae cum ita sint, nihil est, cur in his versibus haereamus; sed hoc quaeritur, utrum ex hac poetarum christianorum lege an ex ea quam de syllaba pentametri media communi illi praeceperunt, in his duobus vocabulis ultimam poeta produxerit. Atque eam rationem in hac re secutus videtur esse Avianus, quae erat de vocibus in 'o' exeuntibus ambigua quantitate adhibendis; nam pentametri caesurae vi eas tantum syllabas produxit quae consona terminantur.

Huius generis exstant in codicibus perscripta exempla haec:

11, 6: incertumque vagus | amnis habebat iter

22, 4: namque alter cupidus, | invidus alter erat

38, 6: verbaque cum salibus | asperiora dedit

34, 10: in propriis laribus | humida grana legit [1])

19, 12: et nostris frueris | imperiosa malis. [2])

1) Dixerit forte quispiam in hoc pentametro mediam syllabam non caesurae vi, sed insequente h littera produci, quam licentiam ut legitimam adhibuerunt poetae christiani (cf. Marium Victorin. de art. gram. I p. 27, 21 [ed. Keil vol. VI]; L. Muellerum de re metr. p. 321); verum quoniam nullum aliud huius rei exemplum in Aviani libello invenitur, non dubium potest esse, quin eadem ratione qua ceteros hanc quoque syllabam poeta produxerit.

2) His addi possent totidem alia eiusdem licentiae exempla et ipsa a codicibus commendata, nisi graviores causae quam quae diluantur, ut ab hac ratione ea seiungeremus, suasissent.

41, 18: subdita nobilibus ut sua fata gemant

35, 16: spes humiles rursus in meliora refert

3, 12: alterius censor ut vitiosa notes

22, 6: obtulit et precibus ut peteretur, ait

27, 10: qua coeptum volucris explicuisset opus.

Epimythium enim fabulae XLI:

haec poterunt miseros post haec exempla monere,
subdita nobilibus ut sua fata gemant

ab interpolatore additum esse per se patet, quia prorsus diversa est eius sententia ab ea ratione, quam fabula illa explicare Avianus stu-

Hos omnes versus cum poeta Antoninorum temporibus florente indignos iudicaret, aut eiecit aut ita commutavit Lachmannus, ut illius productionis exemplum nullum super esset, quae ratio vix poterit comprobari, quippe qua nodus non dissolvatur, sed gladio discindatur. Sed maiore cautione si utimur, haec ineunda est ratio, ut codicum vestigia sequamur et, si nullae aliae insunt res in his versibus, quae corruptelae suspicionem moveant nisi illae in caesura brevium syllabarum productiones, lectiones a libris manuscriptis commendatas amplectamur et his rationibus metricis nisi auctoris aetatem definire conemur.

Verum ut omittamus agere de fabulae XI loco, de quo iam supra satis fuse tractavimus, ubi docuisse nobis videmur disticho illo nullo modo carere nos posse, statim pergemus ad eos huius generis versus, quos etsi ab Aviano compositos, librariorum tamen neglegentia corruptos esse Lachmannus statuit; sunt autem hi:

22, 4: namque alter cupidus, invidus alter erat

38, 6: verbaque cum salibus asperiora dedit.

Atque in priore versu pro 'invidus', quod omnium codicum

---

duit. Epimythium autem fabulae XXXV adsutum cur uncis includendum sit, iam supra exposuimus, cum hexametri formam alienam esse doceremus ab Aviani rationibus metricis, quippe qui nullum alium hexametrum caesura semiseptenaria simul et secunda et tertia trochaica inciderit. Iam tertium illud exemplum et ipsum ab alio quodam profectum esse ea re evincitur, quod additis fabulae III versibus XI et XII cancri verborum facetissimorum:

faciam, si me praecesseris (inquit),

rectaque monstrantem certior ipse sequar

sales corrumpuntur aculeusque, ut ita dicam, praefringitur. Iam epimythii fabulae XXVII non eam, quam plerique codices praebent, sed eam quam Froehnerus restituit, genuinam lectionem esse summa cum probabilitatis specie supra docuisse nobis videmur; denique eum versum:

22, 6: obtulit et precibus ut peteretur, ait

primo obtutu tantis vitiis corruptum esse apparet, ut ad profligandum hanc quaestionem eo uti nolimus.

consensu confirmatur, ex Withofii coniectura reposuit: 'lividus', cum librorum lectionem diversam ita explicaret, ut ad 'lividus' vocem explanandam 'invidus' glossam in margine ascriptam fuisse ascriptamque librarii errore in contextum irrepsisse statueret. Quam coniecturam etsi ingeniose ac sagaciter excogitatam esse concedimus, ut veram genuinamque laudare non possumus; nam praeterquam quod omnium codicum auctoritate nititur lectio 'invidus', et inscriptionibus in codice A: 'de Iove et cupido et invido' et in cod. C: 'de cupido et invido' exstantibus eadem lectio defenditur nec minus inde fulcrum habet, quod in versu XVIII legimus scriptum: 'invidiaeque mālum', quamquam metro non respuitur: 'livorisque malum.' Quae omnia si consideraverimus, tantum aberit, ut Withofii illi coniecturae assentiamur, ut librorum lectionem bene recteque se habere persuasissimum nobis sit.

Neque aliter comparatus est alter versus in fabula XXXVIII exstans:

v. 6: verbaque cum salibus asperiora dedit,

quem ita correxisse sibi visus est Lachmannus, ut pro 'salibus' scriberet 'salsis.' Sed non minus quam ea de qua modo egimus, haec coniectura iusta causa argumentoque caret; atque hoc esse nostrum existimo, ut, si nihil in codicum lectionibus haerendum est, nil haereamus neve ad nostrum arbitrium scriptoris verba conformemus: ac certe illa syllabae brevis productione nihil est cur offendamur, quippe quam quinquies a codicibus commendatam inveniamus.

Nunc ad eos versus transeamus, in quibus verborum transpositione usus est Lachmannus, ut illam brevis syllabae productionem ex Aviani libello removeret. In fabula enim XXXIV versus X cum codicum omnium auctoritate suppeditetur haec lectio:

in propriis laribus humida grana legit,

hanc formam Lachmannus restituit:

in laribus propriis humida grana legit,

nec minus in fabulae XIX versu XII in codicibus ita perscripto:

et nostris frueris imperiosa malis,

ita verborum ordinem commutavit:

et frueris nostris imperiosa malis.

Licet placeant non paucis hae medelae ob commutationum lenitatem, si tamen viam quam ingressi sumus sequimur, librorum vestigia in his rebus premenda sunt, praesertim cum nullum alium invenias locum, cuius verborum ordo in Aviani codicibus praestantioribus perturbata sit. Ac certe hic ipse verborum ordo dedita opera ab Aviano constitutus est, qui leve vitium metricum aequalibus satis tritum minimeque molestum admittere maluit, dummodo vim pondusque orationi adderet: quis enim est, qui illum verborum ordinem, quo 'propriis' priore loco ponitur, optime convenire in hunc locum neget orationisque gravitatem maximopere augere?

Neque alia causa motus est poeta in fabulae XIX versu XII, ut 'nostris' ante 'frueris' poneret, cum enim pinus dumos irrisisset eiusque mala enumerasset, respondent illi: nunc virtutes tuas solas enumeras atque nostris rebus, quae tibi malae esse videntur, conviciaris; sed cum pulchra tua membra securis succidet, intelleges haec nostra non mala sed bona esse atque easdem res ut habeas, optabis. Praeterea ne hoc quidem casu fecisse poeta videtur, ut 'meas' in fine totius orationis collocaret, sed ita instituisse totum hunc sermonem, ut et a pronomine 'nostris' inciperet et per pronomen 'meas' terminaret. Quae cum ita sint, nullo modo cum Lachmanno facere possumus his in versibus verborum ordinem commutante: nam Lachmanni lectionibus receptis et in hoc et in illo versu omnes orationi nervi detrahuntur sermonisque elegantia aufertur.

Habemus igitur in Aviani libello quinque exempla syllabae brevis pentametri caesura productae atque tria exempla hiatus in eadem sede admissi; quibus rationibus metricis uti licet ad fabulatoris illius aetatem definiendam; nam

inde, quod tam saepe pro tam exiguo versuum numero has licentias admisit, certa conclusione efficere possumus ante extremum saeculum quartum Avianum non floruisse. Quod ut accuratius perspiciamus, hanc tabulam subiunximus, in qua quoties licentiis illis singuli poetae indulserint, perscriptum est.[1])

Auctores	syllabae breves producuntur			hiatus admittitur	
	syllabae h littera exceptae	syllabae in consonam exeuntes	syllabae in vocalem exeuntes	h littera interposita	vocalis vocali excipitur
Propertius	1				
auct. carm. in Maevios	1				
auct. carm. de init. et fin. am.		1			
Martialis	1	1			
Pentadius			**1**		
Optatianus Porphyrius	**3**	**1**			
auct. carm. de ave Phoenice					1 (?)
Ausonius	3	8	1		
Claudianus		1 (?)			
Prudentius		3			
Martianus Capella		2	1	1	4
Sedulius	**2**	**1**			**3**
Orientius	1	1	3		
Apollinaris Sidonius					**1**
Dracontius	1	4			
Luxorius		2			
Ruius Asterius					1 (2?)
Ennodius	2			1	
Honorius scholastic.	1				
Venantius Fortunat.	88	11	3	22	
Eugenius Toletanus	2 + **3**	1	1		
Maximianus		1			1 (?)

Numeris pinguiore forma exaratis versus echoicos vel similibus artificiis compositos denotavimus.

1) Omnia carmina Latina elegiaco metro composita ab eo tempore,

Qua ex tabula inter Ausonium et Venantium, si numerum productionum in caesura pentametri adhibitarum et hiatus in eadem sede admissi cum numero versuum exstantium comparaverimus, inserendum esse Avianum cognoscimus atque, siquidem ex hac re conclusio de aetate fieri potest, inter Ausonium et Venantium fabulatoris illius aetatem esse constituendam. [1])

---

quo elegias pangere Romani didicerunt, usque ad saeculum p. Chr. n. septimum perlegimus; sed eorum tantum poetarum nomina ascripsimus, in quorum poematis eae de quibus disputamus licentiae inveniuntur.

1) Ita quoniam quarto vel quinto saeculo Avianum assignare certissimis indiciis cogimur, ne ea quidem syllabae brevis productione offendi debemus, quae exstat in fabulae XXXV versu IV:

alterius odiis exsaturata tumet,

in quo vocis 'alterius' syllaba ultima arsis vi producitur. Hos versus ut spurios eiecisse Lachmannum iam ipse animo tuo colligere poteris: neque solum hoc distichon uncis inclusit sed etiam id quod sequitur. Verum hi versus optime et arctissime et cum antecedentibus et cum insequentibus cohaerent adeo, ut carere eis nequeamus. Id enim poetae consilium est, ut primo in universum describat, quem ad modum in geminos filios amorem simia dividat, deinde exponat, quo casu fiat, ut saepenumero contemptus in cari filii amores succedat. Verum si versus V et VI delemus, omnino non intellegimus, qui fiat, ut simia mater fugiat, id quod et in versu X et in XII poeta enarrat. Necesse igitur est antea scriptor exposuerit, qua re perterrita simia fugae se mandaverit; unde efficitur versus V et VI integros esse relinquendos. Quos quoniam in contextu retinere coacti sumus, versus quoque III et IV cur eiciamus, non habemus: nam minime his idem exponitur, quod iam versibus duobus primis narratum est; sed cum in versibus primis admodum vage atque ambigue dictum sit: simia dividit pignera nata in varias vices, quae sint variae illae vices, altero disticho accuratius describitur. Quae cum ita sint, non delebimus hos versus; cumque emendatio 'alteriusque' a Cabeliavio proposita ab usu sermonis Romani, qui semper ἀσυνθετικῶς 'unus' et 'alter' inter se coniungere solebant, abhorreat (cf. Phaedr. fab. II, 7, 2 sq.:

unus ferebat fiscos cum pecunia,
alter tumentes multo saccos hordeo

et fab. V, 2, 1 sq.:

duo cum incidissent in latronem milites,
unus profugit, alter autem restitit)

Nec minus, ne ultra saeculum quartum evehamus Aviani aetatem, prohibemur alio genere indiciorum, quae quidem in sermone inveniuntur et ad quae tractanda capite proximo accedere in animo est.

Ac primum quidem in universum de sermone Aviani pauca monere necessarium videtur; nam eo factum est, ut multi in falsam de fabulatoris illius aetate opinionem seducerentur. Omnes enim, qui alteri p. Chr. n. saeculo Avianum assignaverunt, ut id contenderent, moti sunt ea re, quod in his fabulis nobiliorem quendam antiquitatis colorem nec paucis locis pulchra nitidaque perlucentia sensisse sibi visi sunt. [1]) Neque horum virorum doctorum sensus deceptus est; quod tamen non illa ratione explicandum, sed ita intellegendum est, ut summo studio ac diligentia Vergilii carmina relegisse atque imitatum esse Avianum statuamus, id quod et ex rationibus nonnullis metricis et ex toto dicendi genere elucet. Quanta autem diligentia Vergilii vestigia presserit et quam multa Vergilio deprompta sibi assumpserit, exemplis subiunctis videbis: nam et Vergilii versus, quos imitatus est Avianus, et Aviani ipsius versus composuimus.

Iam primum totos versus et hemistichia, quae aut eisdem verbis terminantur aut omnino simillime cadunt, Vergilii carminibus Avianus deprompsit; cuius imitationis egregia exempla habes haec:

f. 5, 9: ast ubi terribilis mimo [2]) circumstetit horror

---

necesse est statuamus vocis 'alterius' syllabam ultimam arsis vi hoc loco Avianum produxisse. Praeterea ut hoc censeamus, commovemur ea re, quod in 'us' syllaba finali hanc productionem fabulator adhibuit, nam caesurae quoque vi nullam fere aliam syllabam extendit nisi in 'us' exeuntem.

1) cf. Fischerum de Phaedro eiusque fabul. prolusio a. 1747 p. 53 sq. et Lachmannum, de fabulis Aviani opusc. ed. Vahlen II p. 51 sq

2) codd.: animo; 'mimo' lectio a Cannegietero restituta; sed magis ea emendatio placet, quam proposuit Schenkelius (l. c. p. 402 fin.), cum

Verg. Aen. II. 559: ad me tum primum saevus circumstetit horror

---

f. 10, 3: ad campum nitidis venit conspectus in armis
Aen. VIII, 587 sq.: ipse agmine Pallas
in medio, chlamyde et pictis conspectus in armis

---

f. 12, 1: rusticus impresso terram molitus aratro
georg. I, 494: agricola incurvo terram molitus aratro

---

f. 28, 11: continuo eversam pedibus dispergit harenam
ecl. 3, 87: iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam = A. 9, 629.

f. 18, 1 = ecl. 7, 11; f. 12, 3 = georg. III, 519; f. 14, 3 = g. IV, 223; f. 16, 1 = Aen. V, 449; f. 16, 15 [1]) = A. III, 481 = A. X, 30 = A. XI, 175; f. 1, 7 = g. II, 471 = A. III, 646; f. 1, 5 = A. X, 217; f. 1, 9 = A. III, 369 = A. III, 65 = V, 96 = VI, 39 = VII, 357 = VIII, 344 = VIII, 544 = X, 832; f. 4, 1 = A. I, 93 = A. I, 103 = XI, 136; f. 2, 9 = A. XI, 272; f. 5, 5 = A. V, 351; f. 9, 5 = A. VI, 160; f. 14, 11 = A. XI, 377; f. 15, 5 = g. I, 441; f. 17, 15 = A. V, 113 = A. V, 273; f. 20, 3 = g. IV, 486 = A. VI, 128; f. 20, 5 = f. 25, 3 = A. XI, 41 = A. III, 492 = A. IV, 30; f. 20, 7 = g. IV, 152 = A. III, 431; f. 26, 3 = g. II, 156 = A. VIII, 417; f. 27, 1 = g. I, 416; f. 29, 21 = ecl. V, 19 = ecl. V, 6 =

---

scriberet: vano; quod verbum repositum optime convenit ad verbum ‚pigra' in versu proximo exstans. Praeterea observes velim prorsus alia atque Vergilium hac locutione usum esse Avianum sententia, cuius rationis haud pauca apud Avianum inveniuntur exempla: cf. siste gradus: f. 3, 8.

1) Hic versus corruptus, quippe quo fabulae sententia subvertatur; verum vidit Aemilius Baehrens, cum in locum 'paulatim' reponeret 'haudquaquam.'

A. I, 627 = A. VIII, 123 = A. III, 276; f. 30, 1 = A. VIII, 63 = A. X, 385; f. 31, 11 = A. X, 151 sq.; f. 34, 1 = g. IV, 503; f. 38, 5 = g. IV, 395. Atque ut versus eisdem verbis terminatos et in Vergilii et in Aviani carminibus invenimus, ita initia quoque versuum eadem apud utrumque horum poetarum exstant, quod casu evenisse magno numero huius generis exemplorum prohibemur ne putemus; in quem numerum referendi sunt versus hi:

f. 20, 9: tolle minas tenerumque tuis sine crescere mensis
A. X, 451: tolle minas, fatus medium procedit in aequor

---

f. 26, 3: et prior, heus, inquit, praeruptis ardua saxis
A. I, 321: ac prior, heus, inquit, iuvenes, monstrate mearum

---

f. 28, 1: vincla recusanti dedignantique iuvenco
A. VII, 15 sq.: hinc exaudiri gemitus iraeque leonum vincla recusantum....

f. 2, 7 = f. 5, 9 = f. 13, 5 = A. III, 410; f. 2, 10 = A. XII, 641; f. 3, 6 [1]) = g. I, 98; f. 4, 3 = A. IV, 452; f. 4, 5 = A. XII, 184; f, 14, 3 = A. VII, 585; f. 18, 1 = g. IV, 538 = g. IV, 550; f. 25, 7 = g. III, 110 = A. V, 368 = A. V, 458; f 33, 6 = A. II, 407; f. 38, 5 = A. VIII, 256; f. 34, 4 = g. I, 158 = g. II, 32; f. 36, 3 = A. IX, 598; f. 37, 4 = g. IV, 81; f. 37, 15 = A. III, 480; f. 38, 1 = g. I, 384; f. 40, 9 = A. III, 480; f. 42, 10 = A. II, 274 = A. XII, 620.

Atque adeo Vergilii vestigia Avianus pressit, ut totos fere versus ex eius carminibus depromeret paucis plerumque

---

1) Codicum lectionem recte ita correxisse Schenkelium, ut scriberet:
rursus in obliquom neu velis ire pede;
supra I. 18 exposui.

mutatis vel eisdem vel simillimis verbis res describeret; id quod apparet ex his exemplis:

f. 7, 15: infelix, quae tanta rapit dementia sensum?
A. V, 465: infelix, quae tanta animum dementia cepit?
ecl. VI, 47: a virgo infelix, quae te dementia cepit!
g. IV, 488: subita incautum dementia cepit amantem.
cf. A. IV, 601.

---

f. 21, 3: rusticus hunc fragili cupiens decerpere culmo
g. I, 317: agricola et fragili iam stringeret hordea culmo

---

f. 24, 5: illic docta manus flectentem colla leonem
fecerat in gremio procubuisse viri.
A. VIII, 630: fecerat et viridi gravidam Mavortis in antro
procubuisse lupam, ...

f. 4, 7 [1]) = A. VIII, 238 sq.; f. 7, 5 = A. XI, 812 sq.; f. 9, 13 [2]) = A. III, 29 sq. = A. III, 259 sq. = A. XII, 905; f. 10, 5 = A. I, 83 sq.; f. 12, 1 = g. I, 494 = g. II, 356 = g. II, 203 = g. I, 45; f. 13, 5 = A. X, 454 sqq.; f. 16, 1 = A. IV, 441 sqq. = A. II, 626 sqq. = A. IX, 91 sq. = = g. I, 319 sq.; f. 16, 3 = g. I, 205; f. 17, 1 = f. 17, 17 = A. II, 459 = A. IX, 462 = A. X, 140 (cf. A. II, 50; A. VI, 592 sq.; X, 401; 585; 323; XI, 676; 773; XII, 536; 461; XI, 284; 578; 561 sq.; 654; XII, 226; 578, 858; ecl.

1) Lectionem hanc ab Aemilio Baehrens propositam:
protinus impulsu venti circumtonat aether
genuinam esse loco Vergiliano comprobatur.

2) codd.: verum ubi concreto riguerunt membra timore; in qua lectione quid sit illud: concreto timore, non intellegitur; verum vidit Aemilius Baehrens, cum pro 'timore' (est haec glossa) reponeret 'cruore', quae scriptura locis Vergilianis commendatur.

X, 59; A. V, 497; 520; VII, 164); f. 18, 1 = A. VIII, 207; f. 18, 4 = g. IV, 186 = g. IV, 434 = A. VII, 700; f. 25, 11 = A. I, 132; f. 26, 5 = ecl. III, 64 = ecl. I, 77 sq.; f. 29, 1 sq. = g. II, 317 = g. III, 354 sq. = g. II, 376; f. 29, 3 = g. III, 368 sqq.; f. 29, 16 = A. VI, 126 sq.; f. 32, 5 = A. VIII, 572 sq.; f. 32, 10 = A. II, 689; f. 34, 13 = g. I, 298 = g. I, 192 = g. III, 133; f. 36, 5 sq. = ecl. 8, 85 sqq.; f. 36, 6 sq. = g. III, 436 = g. III, 466 = A. II, 725 = A. VI, 633 = A. V, 388; f. 39, 1 sq. = A. II, 36 = A. XI, 186; f. 40, 9 [1]) = ecl. II, 17; f. 41, 1 sq. = f. 16, 17 = A. XI, 548 sq. = g. I, 445 = A. II, 416; f. 41, 13 = g. I, 180 = g. IV, 410; f. 42, 11 = A. XII, 48 sq.; f. 42, 13 = A. II, 532.

Iam hoc genus Aviani imitationis Vergilianae illustrare mihi liceat, quod inde cognoscitur, quod magnum numerum locutionum e Vergilii carminibus fabulator ille repetiit; atque omissis eis versibus, quos iam in prioribus capitibus attulimus, eos tantum enumerabimus, in quibus locutiones Vergilianae neque tamen in eisdem versuum hemistichiis exstantes inveniuntur; cuius rationis egregia exempla habemus haec:

f. 5, 10: pigraque praesumptus venit in ossa vigor
georg. IV, 481: atque habilis membris venit vigor...
g. III, 272...., quia vere calor redit ossibus...

---

f. 35, 11: alter at hirsuto circumdans bracchia collo
A. II, 792 = A. VI, 700: ter conatus ibi collo dare bracchia circum.

---

1) codd.: vade, ait, et pictae nimium confide iuventae; in qua sententia quid sibi velit 'iuventae' vocabulum, non intellegimus, ut maximam verisimilitudinis speciem habeat Cannegieteri emendatio 'figurae' ex auctoritate loci Vergiliani reponentis.

f. 37, 3 sq.: nonne vides duplici tendantur ut ilia tergo
luxurietque toris nobile pectus, ait.
g. I, 172: duplici aptantur dentalia dorso.
g. III, 506 sq.: imaque longo
ilia singultu tendunt...
g. III, 81: luxuriatque toris animosum pectus.

---

f. 32, 6: nam vocat hunc supplex in sua vota deum.
A. VII, 471: haec ubi dicta dedit divosque in vota vocavit
A. V, 234: fudissetque preces divosque in vota vocasset.
A. V, 514: fratrem Eurytion in vota vocavit
A. XII, 780: opemque dei non cassa in vota vocavit.

f. 4, 4 = g. III, 347 = A. V, 629; f. 4, 10 = g. III, 238 = g. III, 424; f. 5, 5 = A. IX, 306 sq.; f. 5, 7 = A. IX, 364; f. 5, 14 = g. IV, 405; f. 7, 11 = A. I, 605; f. 7, 13[1]) = A. III, 358 = A. IV, 92; f. 9, 7 sq. = g. II, 304 sq.; f. 9, 14 = A. III, 57 = A. III, 308 = A. IX, 473 = A. XI, 819; f. 10, 4 = A. I, 156 = A. IX, 606 = A. X, 576; f. 14, 10 = A. IV, 413 sq.; f. 16, 1 sq. = A. IX, 91 sq.; f. 16, 6 = g. II, 480 = A. IX, 539; f. 17, 8 = A. IX, 344; f. 17, 7 = A. X, 474 = A. XI, 676; f. 17, 9 = A. IX, 578 = A. X, 795 = A. XI, 816; f. 20, 10 = g. II, 44 = A. III, 396; f. 22, 3 = A. I, 666; f. 23, 6 = ecl. V, 74 sq.; f. 25, 8 = A. VIII, 66 sq. = A. IX, 119; f. 19, 1 = A. VI, 436 sq.; f. 14, 9 = A. II, 320 sq. = A. II, 457; f. 26, 2 = A. VII, 811 = g. I, 11; f. 28, 1 sq. = f. 28, 8 = g.

1) codd.: tunc insultantem senior de plebe superbum
aggreditur tali singula voce monens;
sed sine dubio 'singula' vox corrupta est; neque tamen earum quas olim proposuerunt viri docti emendationes (Lachmannus: sibila: Froehnerus: paucula) ulla placet, ut magis probabilis mihi quidem videatur scriptura Baehrensii: voce severa, quamvis a litterarum traditarum ductibus paulo longius recedat.

III, 57; f. 28, 14 = A. I, 485 = A. I, 371 = A. XI, 377 = A. XI, 840; f. 30, 7 = g. II, 145; f. 30, 10 = A. I, 212; f. 33, 3 = A. VII, 622; f. 34, 10 = ecl. III, 92; f. 34, 18 = g. IV, 94; f. 36, 1 = g. IV, 540; f. 36, 2 = g. II, 237 = g. III, 160 sq.; f. 35, 4 = A. VII, 297 sq.; f. 36, 8 = A. VII, 539 = g. I, 147 sq.; f. 36, 11 sq. = A. XII, 171; f. 37, 3 sq. = g. III, 81; f. 37, 10 = A. I, 314; f. 37, 13 = g. III, 85; f. 38, 10 = g. I, 142; f. 41, 9 = g. II, 153; f. 42, 3 = A. I, 410 = A. I, 656 = A. XI, 871 = A. VII, 7.

Satis iam superque exemplis enumeratis docuisse nobis videmur, quanta diligentia in sermone conformando Vergilium ducem Avianus secutus sit: verum ne in minoris quidem momenti rebus et quae minus illustres insignesque sunt idem exemplar fabulator ille non imitatus est, ut, si diligentes plenique in hac materie tractanda esse volumus, etiam huius rationis exempla nobis afferenda sint. Ac primum in ea re Vergilii vestigia satis arcte Avianus pressit, quod epitheta ornantia quae vocantur eadem cum eisdem vel simillimis nominibus coniunxit, cuius imitationis illustria exempla sunt haec:

f. 1, 6: spem quoque raptoris sustulit inde fami[1]) cf. Verg. A. II, 335 sq.: inde lupi ceu Raptores.... — f. 6, 10: verborum vanam[2]) fidem cf. A. IV, 12: nec vana fides; A. IX, 279: tibi maxima rerum Verborumque fides. — f. 4, 9: duplicem amictum = A. V, 421. — f. 7, 9: crepitantia aera = g. IV, 151. — f. 9, 1: curvisque in vallibus = A. II, 748: curva valle. — f. 9, 7: facili cursu cf. A. III, 529: ferte viam vento facilem, g. I, 40: facilem cursum. — f. 11,

1) Haec lectio a Wopkensio (adv. crit. ed. Frotscher vol. II p. 50 sq.) restituta; codd.: raptoris s. i. famis. Wopkensii autem emendatio et sententia et loco Vergiliano commendatur.

2) codd.: vacuam; sed Cannegieteri hanc emendationem ut amplectamur, et emendationis lenitas et locus Vergilianus suadent.

2: insanis aquis cf. ecl. 9, 43: insani fluctus. — f. 12, 1: impresso vomere cf. g. I, 45: depresso aratro; g. II, 356: presso vomere; g. II, 203: presso sub vomere. — f. 13, 4: Cinyphii ductor qui gregis esse solet cf. g. III, 312: Cinyphii hirqui. — f. 13, 6: obvius obliquo terruit ore caper cf. ecl. 3, 8: transversa tuentibus hircis. — f. 13, 9: non te demissis saetosum, putide, barbis cf. ecl. 7, 29: saetosi caput hoc apri. — f. 16, 3: tumidis undis cf. A. III, 157: tumidum aequor. — f. 16, 6: fragiles calamos = g. I. 76. — f. 16, 8: liquidis vadis; f. 25, 16: in liquidis vadis cf. g. II, 200: liquidi fontes; g. IV, 18; A. VII, 699: liquida inter flumina. — f. 17, 1: haud inrita vulnera cf. A. XI, 735: tela inrita. — f. 17, 13: fracto murmure cf. A. III, 556: fractas voces. — f. 19, 1: horrentes dumos cf. A. VIII, 348: silvestribus horrida dumis (Capitolia). — f. 21, 2: flava seges cf. g. IV, 126: flaventia culta. — f. 20, 3: superas = A. V, 128: superas auras. — f. 21, 11: curvas auras = A. V, 128: superas auras. — f. 21, 11: curvas falces = g. I, 508: curvae falces. — f. 26, 6: glaucas salices cf. g. II, 13: glauca canentia fronde salicta. — f. 29, 5: nemorum custos (satyrus) cf. A. IX, 405: nemorum Latonia custos; g. I, 14: cultor nemorum (Pan). — f. 30, 1: pinguia culta = A. VIII, 63; A. X, 141. — f. 30, 7: caput horrens (apri) cf. A. I, 634: horrentia terga (suum). — f. 34, 9: pigranimis (formica) cf. g. IV, 259: ignavae fame et contracto frigore pigrae (apes). — f. 38, 1: fluvio torrente cf. ecl. 7, 52: torrentia flumina; g. II, 451: torrentem undam. — f. 39, 7: rauco murmure = g. I, 109: raucum murmur. — f. 39, 13: flammis crepitantibus = g. I, 85; A. VII, 74. — f. 41, 14: tenues aquas = g. IV, 335; g. IV, 410. —

Neque minus Vergilii normam Avianus servavit eam, ut quaedam vocabula, quae semper vel plerumque in initio hexametri Vergilius posuit, et ipse in nullam aliam nisi in primam versuum sedem admitteret; cuius rationis exempla

invenimus haec: f. 2, 10: occidit = A. XII, 828. — f. 2, 3; 4, 7; 18, 11; 20, 11; 22, 8; 37, 13; 40, 4: protinus = A. VII, 408; VIII, 159; IX, 308; X, 340; X, 561; XI, 690. — f. 9, 13; 16, 5; 31, 3; 34, 7: verum ubi = g. I, 441; g. IV, 405; 443; A. III, 670; VII, 591; XII, 560. — f. 9, 11; 12, 5; 28, 11: continuo = A. VI, 426; 570; VII, 68; 120; XI, 612; 810. — f. 13, 3: speluncam = A. VIII, 224; 304. — f. 14, 1: Iuppiter = ecl. 7, 60. — f. 14, 4: permixtum = ecl. IV, 16: permixtos. — f. 15, 8: sparserat = A. IV, 512. — f. 18, 1: quattuor = A. VI, 587; g. IV, 538; 550. — f. 20, 5; parce = A. III, 42. — f. 22, 11; 29, 17: ille ubi = g. I, 441; A. I, 715. — f. 25, 15: perdita = ecl. 8, 88. — f. 28, 7; 24, 7; 27, 4: scilicet = A. VI, 526. — f. 31, 11: disce = g. III, 44; A. II, 66; XII, 146; 435. — f. 32, 7; 37, 11: perge = A. I, 389; 401; IV, 14; XII, 153. — fama est: f. 35, 1 = A. XII, 735. — f. 39, 6: coeperat (f. 5, 4; 35, 5: coeperit) = A. XII, 941. —

Denique, ut huius rei tractandae finem faciamus, hoc Aviani imitationis Vergilianae genus describemus, quo eam Vergilii consuetudinem secutus est, ut voces quasdam trisyllabas easdemque quas Vergilius, semper in hexametri fine collocaret; de quo usu, quamquam magis ad leges metricas is spectat, hoc tamen loco tractare placuit ideo, ut omnes rationes, quae ad imitationem Vergilianam pertinent, uno eodemque capite complecteremur. Sunt autem voces ex Vergilii exemplo in fine hexametri ab Aviano usquequaque collocatae hae: locuta est: f. 2, 1 = Verg. ecl. 3, 72; A. VI, 189; VII, 357; IX, 5. — locutus: f. 13, 7 = A. V, 14; 303; 400; VII, 599, VIII, 404; IX, 461. — amictum: f. 4, 9; amictu: f. 40, 7 = amictus: A. VII, 669; XII, 602; amictu: A. XI, 77; XII, 401; 885. — iuvencis: f. 18, 1; iuvenco: f. 28, 1; iuvencis: f. 32, 7 = iuvencos; g. II, 237; 357; III, 50 all. — cucurrit: f. 9, 11 = A. VI, 54: VIII, 390; XII, 447. — fatiscens: f. 41, 13 = fatiscunt: A. IX,

809; I, 123. — quietis: f. 2, 13; quieti: f. 1, 5; quietem: f. 6, 9; quietam: f. 18, 15 = quietas: A. X, 71; quietem: A. X, 217; all. — aratra: f. 12, 3; aratro: f. 28, 5; f. 36, 9 = aratro: g. II, 513; A. IX, 435; aratra: g. III, 519; aratris: A. VII, 539; all. — cruore[1]): f. 9, 13 = A. V, 469: cruorem. — recurrens: f. 6, 3 = A. VII, 100. — per auras: f. 8, 5 = A. VI, 82; 194; VII, 543; VIII, 535; all. — ad auras: f. 20, 3 = A. VI, 554; 761; VII, 466.

Sed de Aviani imitatione Vergiliana satis dictum est; exemplis enim abunde allatis docuisse nobis atque evicisse videmur, quam multa e Vergilii carminibus fabulator ille repetierit et quanta diligentia et in sermone conformando et in versibus pangendis Vergilii vestigia presserit. Atque id quidem hoc capite pertractato effecisse me existimo, ut eorum sententiam, qui nobiliorem quendam antiquitatis colorem in his fabulis senserunt, corrigerem et quomodo intellegendum esset, quod haud paucis locis pulchra nitidaque perlucerent, explicarem. Vides igitur iam quantopere illi hoc sensu decepti erraverint, cum ultra saeculum alterum Avianum evehi posse negarent; nam certe ut iam multas in hoc libello inesse vidimus res metricas, quae superiori quam quarto quintove saeculo tribui non possunt, ita in sermone tot et tantae res inveniuntur quarti quintique saeculi propriae, ut his indiciis certissima fide uti nobis liceat ad fabulatoris illius aetatem definiendam: ad quas res tractandas atque illustrandas nunc transire in animo est.

Ac primum quidem id quod nobis proposuimus docendum demonstratur ea re, quod nonnullae voces in Aviani fabulis inveniuntur, quibus nemo scriptorum Romanorum saeculo quarto superior usus esse videtur. Huius autem rei exemplum

1) Hunc enim versum e coniectura ab Aemilio Baehrens proposita sic restituendum esse:

verum ubi concreto riguerunt membra cruore

iam supra docuisse nobis videmur.

habemus in fabulae XXVIII versu IV, qui a codicibus ita exhibetur:

rusticus obliqua succidens cornua falce
credidit insanum defremuisse pecus.

Defremendi vocabulum praeter hunc Aviani locum in Sidonii epistulis primum invenitur, qui scriptor compluries voce illa usus est, velut ep. 1, 5: nondum cuncta thalamorum pompa defremuit; ep. 9, 9: donec gentium concitatarum procella defremeret; ep. 4, 12: sensim ira defremuit. Sunt tamen, velut Henricus Keil, qui iam Plinio epistularum auctori hoc vocabulum tribuant; nam ep. 9, 13, 4: 'ego et modestius et constantius arbitratus immanissimum reum non communi temporum invidia, sed proprio crimine urgere, cum iam satis primus ille impetus defremuisset (?) et languidior in dies ira ad iustitiam rediisset, ... mitto ad Anteiam, rogo ut veniat et qu. sqq.' codicis Medicei auctoritate, qui omnium optimus habetur, 'defremuisset' comprobatur, cum ceteri codices atque editiones veteres uno consensu 'defervescendi' verbum defendant neque ullus ab hoc vocabulo recedat, nisi quod inter formas 'defervisset' et 'deferbuisset' ambigunt. Verum licet optimus sit omnium liber Mediceus, ne is quidem vitiis iisque gravissimis vacuus est, ut non tantam fidem ei tribuerim, cuius si rationibus ex ipsa verborum vi atque natura petitis scriptura redarguatur, ceteris neglectis unius auctoritatem sequar. Atqui hunc in modum hic locus comparatus est; nam reputantibus apud nullum scriptorem saeculo quinto superiorem nisi hoc Plinii loco codice Mediceo exhibitam hanc vocem inveniri, tum minus in sententiarum nexum convenire, cum de impetu dicatur et verba proxima haec sint: 'et languidior in dies ira ad iustitiam rediisset', 'defremere' quam 'defervescere', denique codicum ceterorum et editionum veterum omnium consensu lectionem 'defervisset' confirmari, vix dubium nobis erit quin 'defervisset' in Plinii verborum contextum recipiamus.

Iam huic vocabulo addere liceat vocem 'falsitas' (praef. 6 Fr.), quae cum in Arnobii libris (p. 38, 5; p. 92, 8; all. ed. Reifferscheid), quos circa annum trecentesimum edidit, primum [1]) legatur, ad earum vocum, de quibus disputamus, rationem proxime accedit. Ab hoc autem rhetore conficta haec vox paulatim viguit, quippe quae non ita raro apud Lactantium, Ammianum, Macrobium inveniatur.

His igitur vocabulis, quae apud quarti quintique saeculi scriptores primum leguntur, allatis transeamus nunc ad id, ut enumeremus voces ab Aviano usurpatas atque eis quidem sententiis, quae a quarti quintique saeculi auctoribus illis vocibus subiciuntur. Cuius rei exemplum habemus vocem 'exosas' in fabulae XXXIII versu VI exstantem:

sed dominus cupidum sperans vanescere votum
non tulit exosas in sua lucra moras;

quippe quae apud superiorum temporum scriptores activam vim habeat, ut declaret eum, qui valde oderit [2]), verum recentiore aevo et hoc Aviani loco in notionem passivam abeat, ut eum, qui magno in odio sit, significet. Haec autem si-

1) Erant, qui etiam in Ciceronis contextum (pro Cluent. 2, 5) hoc vocabulum reciperent, cum a nonnullis eiusque deterioribus codicibus illo loco exhibeatur; sed si optimorum librorum auctoritatem sequeris atque illius loci in sententiam accuratius inquisiveris, nihil tibi erit dubium, quin 'falsitas' vox in eum locum omnino non quadret. Opponit enim orator contionibus, in quibus, cum ad opiniones sermonesque imperitorum maxime valeant, veritas iaceat falsaque invidia dominetur, iudicia, quorum, quoniam a viris prudentibus habeantur, sit falsae invidiae resistere eisque solis rebus niti, quae exploratae sint omnique suspicione careant. Atque his utitur Cicero verbis: etenim sicut in aliis rebus (i. e. in contionibus) parum firmamenti et parum virium veritas habet, sic in hoc loco (i. e. in iudiciis) falsa invidia imbecilla esse debet. Vides igitur nullo modo fieri posse, ut in locum verbi 'veritas' 'falsitas' substituatur, qua commutatione tota huius loci sententia subvertitur atque deletur: ut primus Arnobius hanc vocem usurpasse statuendus sit.

2) cf. Verg. Aen. V, 687; XII, 517; 818; Flor. 4, 11; Curt. 8, 7.

gnificatio primum invenitur apud Eutropium et Ammianum [1]) atque ab eo tempore magis magisque viguit; quam si invenimus apud Avianum, cui aetati is sit assignandus, per se patet [2]).

Iam alterum exemplum habemus in fabulae III versu II, quo loco 'relisit' perscriptum omnium librorum consensu [3]) exhibetur. Quae vox priscis temporibus apud unum Sallustium exstat in histor. l. IV fragmento XXXV (ed. Kritz a. 1853), quem locum Servius ad. Verg. Aen. III v. 414 ascripsit: 'Italiae Siciliam ...... aestum relidit'; in qua voce repellendi notionem inesse vides. Sed quarto p. Chr. n. saeculo cum hoc vocabulum revixisset, aliae significationes ei subiectae sunt, velut resultandi a Venantio Fortunato; atque ad eam quam hoc loco [4]) tributam verbo illi reperi-

1) Eutrop. 7, 2, 3; Macrob. Sat. I, 11, 45.

2) Exstat haec vox eadem significatione usurpata in Gellii noct. att. l. II c. XVIII fine in editionibus vetustioribus: cuius etiam ..... καὶ φίλος ἀθανάτοις, quam totam περικοπὴν spuriam alienaque manu additam esse iam Salmasius vidit; atque hanc sententiam rectam esse eo evincitur, quod in libris haud paucis eisque optimis, ut in Regio, in Rottendorfiano all. hic locus omnino non comparet; et iure meritoque Lionius (ad h. l.) monuit in capitis indice nullam additamenti illius mentionem fieri, quam fecisset Gellius, si in fine capitis tale quid addidisset. Neque qui sit factum, ut pericope illa adderetur, ignoramus; nam in Macrobii Saturnaliis cum hoc Gellii caput transscriptum (Sat. I, 11, 41—44) atque ab ipso Macrobio paragraphum XXXXV adsutam aliquis invenisset: cuius etiam .... φίλος ἀθανάτοις, etiam Gellii capiti adiunxit.

3) Fuerunt qui coniectura hunc versum tentarent, cum haec restituenda censerent: tergora laesit, velut Cannegieterus (ed. fab. Avian. p. 28) et Nodellius (ed. a. 1787 p. 37), nimirum ea nisi re, quod in codice Saugermanensi, cui litteram P Froehnerus indidit, exaratum est: relaesit. Verum si respiciemus ea, quae de huius libri scripturae et inprimis orthographiae genere Froehnerus (praef. ed. Avian. p. IV sq.) monuit, hac coniectura ut supervacanea et futtili reiecta librorum auctoritatem sequamur necesse est.

4) Iterum relidendi verbum in Aviani libello exaratum invenitur; in fabulae enim IX versu IX sq. legimus scripta haec:

mus significationem proxime accedit ea, quam apud Prudentium (περὶ στεφ. 9, 48) videmus; scripta enim ibi leguntur haec:

9, 47 sq.: coniciunt alii fragiles inque ora tabellas
frangunt relisa fronte lignum dissilit.

In eandem rationem cadit hic locus:

f. 39, 13 sq.: ille resultantem flammis crepitantibus addens
hoc te maior, ait, poena dolorque rapit;

nam resultandi [1]) voci hoc loco recusandi vel adversandi sententia subiecta est, quae nunquam invenitur apud scriptores quinto saeculo superiores [2]) et cuius primum exemplum exstat

ille trahens nullo iacuit vestigia gressu,
exanimen fingens, sponte relisus humi.

Verum hoc loco recte fecisse videtur Cannegieterus, quod ex plurimorum locorum auctoritate reposuit: refusus (cf. Verg. Aen. VI, 423; I, 214; IX, 164; V, 102; V, 77; I, 193), nam huius vocis significationem ut voci 'relisus', quae usquequaque 'oblisus' sive 'collisus' vim habet, tribuamus, hoc uno loco facere non possumus. Neque minus a vero aberravit Aemilius Baehrens, cum 'sponte' in 'fronte' corrigeret; nam postulatur huius fabulae condicione, ut viator ille ore humum tegat atque os in solo imprimat, ne ursus eum spiritum trahentem et emittentem sentiat.

1) Ex auctoritate editionis veteris cuiusdam Aemilius Baehrens 'reluctantem' in ordinem recepit; quam lectionem ex glossemate natam esse patet.

2) Iam eadem vox nova ac mira sententia usurpata legitur in fabulae XXXVI initio

pulcher et intacta vitulus cervice resultans
scindentem assidue viderat arva bovem;

nam idem valere videtur atque 'insultans' sive 'discursans', quam notionem alio loco ei tributam vix inveneris. Qua re ductus in eius locum 'refulgens' vocabulum Lachmannus substituit, quae emendatio quamvis speciosa tamen vix recta est; nam praeterquam quod omnium librorum consensu 'resultans' lectio comprobatur, etiam aliquid fulcri habet ea re, quod verbis per 're' compositis loco verborum aliis cum praepositionibus conglutinatorum metri ratione inductus Avianus compluries usus est, velut f. 6, 3: 'recurrens' pro 'accurrens'; f. 29, 4: 'referens' pro 'afferens'; quod loquendi genus nulli nisi recentioris aevi poetae tribuas.

apud Sixtum papam Romanum (ep. 8: nullus obviet salubribus constitutis, nullus praeceptionibus his resultet); deinde apud Cassiodorium hist. eccles. 5, 11: Iudaei tentabant resultare Romanis; et ibid. 11, 4. Quae significatio medio aevo admodum usitata videtur fuisse; nam Papias glossographus in elementario doctrinae rudimento, quod scriptum est saeculo undecimo, 'resultat' per 'contradicit' interpretatus est et Gregorius Turonensis, qui floruit saeculo sexto exeunte, eadem vi compluribus locis hanc vocem usurpavit, velut hist. Franc. l. X c. V: 'sed nos resultare coepimus dicentes, quod non accrederemus ad hunc locum.'

Iam in hunc numerum referenda est vox 'debilis', quae in fabulae XXXVIII versu XI:

tunc me nobilior magno mercabitur emptor,
te simul aere brevi debile vulgus emet

invenitur ea sententia posita, ut idem significet quod 'humile' sive 'infimum'. Cuius notionis primum exemplum habemus in decreto Childeberti regis (saec. VI), in quo infimi ordinis persona debilis dicitur; exstant enim in cap. VII haec: si 'Francus fuerit, ad nostram praesentiam derigatur; etsi debilior persona fuerit, in loco pendatur.' Videmus igitur ex hac quoque re iam ingruentis barbariae temporibus fabulas illas compositas esse.

Nec minus eiusdem rei indicium est in his versibus:

f. 8, 11 sq.: Iuppiter at ridens postquam sperata negavit,
insuper et magnae sustulit auris onus.

f. 22, 7 sqq.: his quoque se medium Titan scrutatus utrumque
obtulit et 'precibus Iuppiter aequus', ait,
'praestandist facilis: nam quae speraverit unus,
protinus haec alter congeminata feret.

quos versus si perlegeris, invenies sperandi verbi genuinam significationem ab Aviano immutatam esse, ut idem valeat

quod 'rogare.' Quae notio a nullo scriptorum Romanorum admissa est nisi ab eis, qui medio aevo floruere; nam in regulae Pauli et Stephani capite IV legimus haec: 'nulli liceat absque Prioris permissu de opere dei discedere; sed quem causa manifesta compulerit, oratione a Priore sperata et concessa obtineat'; nec non in eiusdem regulae capite V exstant scripta haec: 'nec bini, nec terni, sed singillatim exeuntes orationem sperent.' Eadem significatio voci illi subiecta est in epistula, quam Leo episcopus Senonensis (saec. VI) ad Childebertum regem dedit: 'ubi sperare dignamini, ut ad ordinandum Meoledensem Episcopum aut praesentia nostra adesse debeat, aut consensus'; nec non in Iosephi Iscani belli Troiani libr. VI versu 228 (ed. S. Dresemius Francofurt. a. 1620). Haec igitur sperandi vocis significatio medio aevo videtur viguisse, cuius rei initia invenimus in Aviani fabulis, qui hanc significationem aut ipse novasse aut, id quod verisimilius est, ex aequalium usu novatam [1]) adhibuisse statuendus est.

1) Fuerunt qui apud Plautum quoque huius significationis exempla inveniri dicerent, cuius erroris auctor est Servius grammaticus, qui ad Verg. Aen. I, 543 haec annotavit (ed. G. Thilo Lips. a. 1881): '[si genus humanum et mortalia temnitis arma, At sperate deos memores fandi atque nefandi] abusive timete, ut alibi (4, 419) hunc ego si potui tantum sperare dolorem, cum speremus bona, timeamus adversa. Veteres tamen sperare dicebant, deorum auxilia spectare. Plautus in Milite (IV, 5, 10): deos sperabo teque postremo tamen, in Casina (II, 5, 37): diis sum fretus, deos sperabimus'. Contra viri eruditi Gulielmius (quaest. Plaut. in Casin. c. IV), Lambinus (ad Casin. l. c.), Taubmannus (adnott. ad l. c.), Gronovius (adnott. ad h. l.) ita hunc sperandi verbi usum interpretati sunt, ut idem esse dicerent quod 'in deis confidere', atque per ellipsin hanc locutionem usurpatam esse statuerent pro: deos propitios fore spero. Neque quin his assentiendum sit, dubium esse potest; nam si accuratius in locos illos Plautinos inquisiverimus, facile videbimus nullo modo eam significationem, quam voluerunt illi, his locis in illa locutione inesse. Iam ut ab eis exemplis, quae attulit Servius, proficiscamur, in Casinae versibus (Casin. 2, 5, 34 sq.), cum Olympio de firma spe ac fiducia Lysidami (hoc personae illius nomen esse, non Stalinonem docuit Ritschelius opusc. III, p. 321 sq.), quam ille in forte collocaret, rem bene eventuram esse, miratus esset, Lysidamus eius rei bonam certamque causam se habere respondit: se enim deis fretum esse neque unquam de fiducia illa destiturum. Neque quidquam illum de deorum precatione, sed de fiducia sola addidisse iam inde apparet, quod una de deorum fiducia Olympio verba facit, cum multos illa fiducia deceptos esse se vidisse dicat. Neque aliter comparatum est exemplum, quod ex Milite (Mil. glor. 4, 5, 7, v. 1206 sqq. ed. Fleckeisen) repetiit Servius; nam cum Pyrgopolinices bono animo esse Palaestrionem iussisset, quod, si ullo modo fieri posset, ipse eum liberaturus esset, ille respondit, quamquam acerbum sibi esset, tali ero carere, tamen se deis erique promissis confisurum, brevi tempore liberationis diem adfore. Certe hoc loco de rogando nullus sermo esse potest; quae vis si in sperandi verbo esset, dicere debuit poeta: deos spero teque; nam futuro tempore ero Palaestrio supplicare nequit, cum Pyrgopolinices ab eo discessurus sit. Quoniam igitur duobus locis sperandi voci confidendi vim a Plauto tributam vidimus, si tertium eandem locutionem reperiemus, eandem significationem iure meritoque ei subiciemus, etiamsi primo obtutu alia ratio videtur esse. Itaque in Cistellariae versibus (Cistell. 2, 3, 50 sqq.) hanc sententiam inesse statuimus: In deis et in te spem collocatam habeo, te perfecturum esse hoc negotium; ad quae respondit Lampadio haec: in eisdem spes meas repositas habeo, ita ut secure, quod ad hanc rem attinet, domum abire possis. Quae cum ita sint, locos illos Plautinos a Servio allatos in eam de qua agimus rationem non cadere facile concedemus.

Atque in idem indiciorum genus referenda videtur fatigandi vox; nam ea hoc loco:

f. 31, 7 sq.: tunc indignantem iusto sermone fatigans
distulit hostiles calliditate minas.

in eam sententiam abit, quae a Sulpicii Severi aetate ei subiecta est, ut idem fere valeat atque 'cavillari' sive 'irridere' [1]); sed paulo modestius hac voce usum esse Avianum, cum adderet 'sermone', recte monuit Cannegieterus [2]): Sul-

1) Sulpic. Sever. dial. 1, 4: nullam occasionem omittis, quin nos edacitatis fatiges; ibid. 5: sed supersedendum est,. ne Gallus se aestimet fatigari; Sidon. ep. 6, 2: fatigari argutiis; cf. Sidon. ep. 1, 8; Sulpic. dial. 1, 4.

2) Quod addit Cannegieterus ex optimi saeculi usu hanc Aviani locutionem confirmatam esse, non ita pro certo affirmaverim: id quidem exemplum, quod ad illam sententiam sustentandam attulit (Sallust. Jug. 60: Romanus imperator ubi se dolis fatigari videt), aliter comparatum est, quam quod huic loco conveniat.

picium enim simpliciter fatigandi vocem hac sententia usurpasse ex exemplis allatis vides.

Iam eodem modo eam significationem, quae medii aevi est, subiecisse Avianus videtur vocabulo 'superesse'; nam in fabulae XIII versu X:

illum, qui superest insequiturque, tremo,

quoniam cum insequendi verbo haec vox coniuncta est, eadem notio videtur inesse, quam huic voci tribuit Marianus, cum scriberet haec (vita B. Joannis Ronovisii tom. V p. 109 ed. Mai): 'ideo quando hora comedendi supererat, et dolore flere incipiens infirmario dicebat: oportet ut omnino haec sumam'? Hoc autem loco instandi sive imminendi vim illa vox habet, quae optime quadrat in eam quam tractamus Aviani versum; quam si amplectimur interpretationem, offensio quaedam de hoc loco removetur: nam cum adhuc ei qui edidere Aviani fabulas, in duo distractum hoc vocabulum perscripserint, quocumque modo verba interpretaberis, haec sententia miri aliquid habet, nec quid super illud sibi velit, facile intellegimus. Verum si 'superesse' idem valere statuimus quod 'instare', optime omnia se habent, ut mihi quidem dubium non sit, quin hanc vim voci illi Avianus subiecerit.

His vocibus addere liceat aliam, qua serior Aviani aetas indicatur. Est hoc exponendi verbum, quod in fabulae XXXVI versu IV:

non pudet, heus, inquit, longaevo vincula collo
ferre nec expositis otia nosse iugis?

idem valet quod 'deponere'; in qua notione cum haereret Lachmannus 'impositis' reposuit. Verum argumentis allatis hoc loco nihil proficimus, nam et 'expositis iugis' et 'impositis iugis' aeque bene in sententiam quadrant, quamquam eam sententiam, quae est verbo 'expositis' integro relicto, praetulerim; vitulus enim, cum intacta cervice sit, otia hac maxime re consistere putat, ut iugum bos exuat. Sed quocunque modo hoc se habet, si maiore cautione uti volumus, 'expositis' verbum,

integrum relinquamus necesse est; nam, id quod iam Oehlerus ad Tertullian. de orat. c. 15 recte adnotavit, 'exponere' Afri potissimum usurpant pro 'deponere'; ac primum haec vox illa sententia usurpata invenitur apud Tertullianum et plerisque quidem locis sententia metaphorica: de pall. 5: exponitur vestis; de orat. 12; ibid. 15; de resurrect. carn. 45; ibid. 49; adv. Marc. V, 10; de praescript. haeret. 40; adv. Valentin. 9; adv. Prax. 25; deinde apud Arnobium adv. natt. II, 41 i. fin.: vigorem virilitatis exponere; IV, 26 sub fin.; II, 63 sub fin.; IV, 21 sub fin.; apud Lactantium de persecut. mort. 20, 2; institut. III, 26, 13; ibid. VII, 5, 22; apud Cyprianum (ed. Hartel) p. 204, 6; p. 5, 7; p. 36, 5; p. 36, 20; p. 710, 14 sq.; p. 795, 6; p. 257, 24; p. 423, 26. Qui usus etiam in poetarum ac primum christianorum carmina (cf. Paulin. Nolan. carm. XXIII, 609 sq.; ibid. v. 65; Dracontii epithal. Ioann. et Vitul. v. 73 sq. (Baehrens poet. lat. min. V. p. 157) translatus est; ut nihil dubitari posse arbitrer, quin locutio 'expositis iugis' integra in Aviani libello relinquenda sit.

Verum non modo eae vocabulorum significationes in Aviani fabulis inveniuntur, quae ante saeculum quartum quintumve apud nullum scriptorum Romanorum leguntur, sed etiam eas notiones nonnullis vocibus fabulator ille tribuit, quarum exempla e ceteris scriptoribus ne infimorum quidem temporum petita afferri possunt et quibus a propria et genuina significatione prorsus remotis facile intellegis eis temporibus fuisse Avianum, quibus vividus Latinitatis sensus iam exstingui propriaeque vocum notiones evanescere coeperunt.

Cuius rei exemplum habemus in fabulae XXXIV versu IX:

pigranimis tantos non aequans corpore nimbos
in propriis laribus humida grana legit;

quo loco aequandi voci ea vis subiecta est, ut significet 'tolerare' sive 'sustentare'; quam notionem apud nullum alium scriptorum Romanorum invenire potui.

Iam eadem ratio est verbi 'cupiendi' cui duobus locis:

f. 7, 15 sq.: infelix, quae tanta rapit dementia sensum,
munera pro meritis si cupis ista dari?

f. 24, 11 sq.: inrita te generis subiit fiducia vestri,
artificis testem si cupis esse manum.

ea sententia ab Aviano tribuitur, ut valeat 'credere' sive 'existimare', quibus glossematis iam scholiasta vocem illam explanavit. Ac certe ei assentiendum est; nam quod Cannegieterus scholiastae explicationi opposuit, cum se hanc illius vocis significationem nosse negaret, futtile est et iam eo redarguitur, quod bis eadem sententia usurpatum hoc vocabulum apud Avianum invenitur.

Nec minus hoc loco afferenda est 'iurgii' vox, quam, cum ceteris locis significet rixam sive certamen verbis initum, idem valere voluit Avianus quod proelium, nam scripsit haec:

f. 13, 7 sq.: tristis abit longeque fugax de valle locutus
(nam timor expulsum iurgia ferre vetat);

cuius loci ea sententia est: timore instantis leonis taurus prohibitus est, ne cum hirco proelium iniret. Verum Cannegieterus (dissertat. c. XXI init. p. 311 sq.) hunc locum ita interpretatus est, ut iurgia [1]) ferre idem valere diceret atque

---

1) Ceterum hoc velim observaveris frequentissimum vocis 'iurgii' usum apud Avianum esse, quippe quae his in locutionibus inveniatur: iurgia ferre: f. 13, 8; iurgia trahere: f. 15, 4: iurgia facere: f. 19, 2; iurgia conserere: f. 4, 2. Atque de hac locutione, quippe in qua haeserint plerique virorum doctorum, accuratius agere liceat. Codicum autem lectio est haec:

immitis Boreas placidusque ad sidera Phoebus
iurgia cum magno conseruere Iove.

Librorum igitur si sequimur auctoritatem, in verbis inest sententia haec: Boreas et Phoebus iurgia de principatu inita cum Iove communicaverunt, qui, uter superior esset, diiudicaret. Verum haec significatio voci illi a nullo scriptorum Romanorum subicitur atque eo magis mira est, quod hae locutiones: manus conserere (Liv. VI, 12), conserere pugnam (Plaut. Bacch. 4, 9, 43), conserere proelia (Liv. V, 36; Curt. 8, 13), conserere certamen (Liv. XXXV, 4) eam tantum sententiam habent, ut

litem sive iurisactionem inferre; quae interpretatio rerum quae ibi exponuntur, conexui minus apta est. Qui enim

---

valeant: proelium sive certamen inire cum aliquo. Qua ratione ductus Lachmannus pro 'Iove' scribendum proposuit: 'ioco', qua voce reposita omnes difficultates removentur. Ac certe duo haec vocabula: 'Iove' et 'ioco' facillime a librariis permutari posse docemur scriptura codicis Sangermanensis (P), in quo f. 37, 2 pro 'iocis', quod ceteris libris exhibetur, 'Iovis' exaratum est. Itaque lectionem 'ioco', cum emendationis lenitate commendetur, Froehnerus in ordinem recepit; minus ea placuit Aemilio Baehrens, qui sine ulla omnino causa illam vocem a Lachmanno expulsam dicit (miscell. crit. p. 182 init.), et Kellero et Schenkelio (ann. gymn. Austr. a. 1865 p. 402), qui argumentis refutare eam studuerunt. Quod autem gravissimum afferunt argumentum, quod in versu XV haec legimus scripta:

tunc victor docuit praesentia numina Titan,
nullum praemissis vincere posse minis,

ei non multum tribuendum censeo; nam cum in caelo iurgium illud initum sit (id quod ex verbis 'ad sidera' [v. 1] apparet), deos adesse atque certamen conspicere per se patet (praesentia numina non de Iove uno, sed de deorum turba dictum esse praefero); neque gravior videtur mihi esse ea res, quam attulit Schenkelius, cum et paraphrasin et Novum Avianum (IV, 5 sq. p. 61 Fr.) testes esse sententiae suae vellet; qua re nihil aliud lucramur nisi quod eis temporibus, quibus imitamenta illa composita sunt, iam 'Iove' lectionem in codicibus perscriptam fuisse docemur, cuius rei multo magis idoneis testibus codicibus optimis uti possumus, qui etiam nonnullis saeculis ante exarati sunt. Contra alia re, ut lectionem a codicibus exhibitam reprobemus, non modo adducimur, sed etiam cogimur; versu enim V cum haec exposuerit Avianus:

convenit hanc potius liti praefigere causam,
pallia nudato decutienda viro,

ad Iovem ut litis arbitrum eos causam detulisse antea narrasse Avianum vix verisimile est; nam illi aut Iovem certaminis praesidem constituerint, ut is causam, in qua certamen versaretur, iudicaret, aut re ad arbitrum non delata ipsi inter se convenerint necesse est de causa, in qua uter vicisset, palmam ferret. Alia rei condicio esse nequit; itaque cum codicum lectio sententiae repugnet, aut in 'Iove' (v. 2) aut in 'convenit' (v. 5) vitium latere oportet. Verum quoniam 'convenit' verbum nullam corruptelae speciem praebet, in 'Iove' viri docti iam pridem offenderunt, in hoc vocabulo vitium inesse statuemus; atque Lachmanni coniectura reponentis 'ioco' cum omnes difficultates tollantur, huic emendationi nihil est, cur non assentiamur, praesertim cum

dicere potuit Avianus taurum de spelunca ab hirco depulsum animo id volutasse, ut illum in ius vocaret litemque iudicibus diiudicandam proponeret, praesertim cum timore illum, ne id faceret, prohibitum esse aperte addat poeta? Quid? locutione illa nonne id declaratum putas, quod statim in tali rerum condicione fieri potuit? Et quid tunc ipsum citius in mentem venire tauro potuit, quam ut hircum ulcisceretur poenasque confestim ab eo repeteret proelio cum eo ineundo? Nam ut hircus a tauro superaretur, quin futurum fuerit, haud dubium est.

Neque praetermittendus est verbi 'componendi' usus, quem in fabulae XXIII versu IV habemus:

nobilis hunc quidam funesta in sede sepulcri
mercari cupiens compositurus erat;

nam huic vocabulo ea vis subiecta est, ut idem valeat quod 'constituere statuam'; qui usus ab Aviano novatus [1]) est ne-

---

altero quoque loco duo illa vocabula inter se permutata a librariis viderimus. Habemus igitur locutionem 'iurgia conserere' ea sententia usurpatam, ut idem sit quod 'rixam sive certamen inire', quam conformavit Avianus ex analogia earum dictionum, quas supra attulimus.

1) In eundem numerum referenda forte tibi videatur 'reverentia' vox in fabulae XXIII versu XI exstans:

subdita namque tibi magni reverentia Bacchi
(codd.: fati; paraphrastes: Bacchi),
atque eadem retines funera nostra manu;

quae vox, cum ceteris locis significet 'pudor ac metus cum observantia coniunctus' et usquequaque ad animum mentemque pertineat, hoc loco adorationis vel cultus sententiam habet, quam notionis commutationem quoniam in lexicis adnotatam non reperimus, infimae tantum Latinitatis esse putes, praesertim cum in codice Theodosiano iam aliqua ex parte illius vocis significationem mutatam videamus, ut idem sit atque 'divina reverentia' et 'ipsa religio Christiana' (cod. Theodos. 16, 5, 56; ibid. 12, 1 leg. 49). Sed eadem vocis notio iam apud Tacitum exstat, qui in histor. l. II cap. 78 med., cum de monte Carmelo narraret, scripsit haec: est Iudaeam inter Syriamque Carmelus: ita vocant montem deumque. nec simulacrum deo aut templum (sic tradidere maiores), ara tantum et reverentia'; quo loco sine dubio valet idem 'reverentia', quod cultus sive sacrorum institutio. Ut autem longius in hoc Aviani loco

que apud alium scriptorum Romanorum invenitur: quem enim locum ad hanc significationem aliquo modo explicandam afferre possumus Ovidii fast. I v. 705 sqq:

at quae venturas praecedat sexta Kalendas,
hac sunt Ledaeis templa dicata deis.
fratribus illa deis fratres de gente deorum
circa Iuturnae composuere lacus,

non prorsus in hanc rationem cadere videtur, quod hic condendi magis quam constituendi significationem 'componendi' verbum habet.

Iam ut ad aliud aetatis Aviani indicium transeamus, ne hoc quidem neglegendum est, nonnullis locutionibus prorsus alias diversasque ab eis, quae apud superioris aetatis scriptores in eis insunt, significationes subiecisse Avianum; cuius rei primum exemplum in fabulae III versu VIII exstat:

sed nisu contenta ferens vestigia recto
innocuos proso tramite siste gradus;

nam locutio 'gradus sistere', cum apud ceteros scriptores subsistendi sive consistendi vim habeat [1]), apud Avianum

---

commoremur, adducimur eo, quod versum illum, quem ascripsimus, librariorum neglegentia corruptum esse patet. In codicum enim lectione (sati: P, facti: AG, fati: ceteri) quid 'magni reverentia fati' sibi velit, prorsus obscurum est, ut iam paraphraseos auctor coniectura mederi sententiae studeret, cum 'magni reverentia Bacchi' reponeret; quae emendatio, etsi speciosissima est, a codicum scriptura nimis recedit. Iam accuratius codicum vestigia pressit Aemilius Baehrens, qui 'magni reverentia fani' scripsit; sed ne hac quidem lectione recepta omni obscuritate caret oratio et praeterea nimis vaga est. Itaque ipsi mihi coniectando tentare hunc locum corruptum liceat; atque haec scripsisse Avianum suspicatus sim:

subdita namque tibi est Bacchi reverentia fato;

in quo versu cum librariorum socordia, quae maxima in nominibus propriis erat, 'Bacchi' in 'magni' corruptum esset [cf. BACCHI c. MAGNI], ex 'fato', ut 'magni' haberet nomen, ad quod pertineret, 'fati' correctum est, ut, si hanc in ordinem recipimus emendationem, facillime qui factum sit, ut versus depravaretur, perspiciamus.

1) Verg. Aen. VI, 465; Propert. 4, 10, 36; Ov. remed. am. 80.

eam sibi sententiam vindicat, ut idem valeat quod f. 29, 4 dixit: gradum ferre, vel f. 3, 1: ferre vestigia.

Neque aliam hoc loco afferre neglexerim locutionem, quam novasse [1]) et ipse Avianus censendus est, quippe quae apud ceteros scriptores non exstet. Atque ter, unde intellegimus satis usitatam hanc locutionem Aviano fuisse, 'trahere ora' adhibuit adiuncto ablativo:

f. 1, 9 sq.: cur, inquit, nullam referens [2]) de more rapinam
languida consumptis sic trahis ora genis?

f. 7, 3 sq.: forte canis quondam nullis latratibus horrens
nec patulis primum rictibus ora trahens...

f. 25, 1 sq.: flens puer extremam putei consedit ad undam
vana supervacuis rictibus ora trahens.

Ut iam commemoravimus, locutio prorsus similis apud alium

1) In eundem numerum referenda fortasse tibi videtur locutio: verba dare, quam, cum ceteri scriptores (Ter. Andr. 1, 3, 6; Cic. Att. 15, 16a; Nep. Hannib. 5) decipiendi sensum ei tribuerint, eadem sententia adhibuit Avianus, qua Vergilius dixit: 'dicta dare (Aen. VII, 323; 471; V, 852; VIII, 541 all.); in lexicis enim hanc illius locutionis significationem aut omnino non ascriptam invenies aut nullis nisi Aviani exemplis probatam videbis, ut ad eam facile ducaris opinionem, hanc significationem fabulatorem illum novasse; neque tamen hoc Aviano tribuendum est, sed Valerio Flacco, in cuius Argonauticis iam bis haec locutio ea significatione usurpata legitur:

VII, 250: talia verba dabat, conlapsaque flebat iniquae
in Veneris Medea sinus.....

VIII, 173 sqq.: famulae pariter clamore supremo
in vacuos dant verba notos, dominamque reclamant nomine;

Itaque hoc tantum restat commemorandum saepissime illam significationem huic locutioni tribuisse Avianum (f. 9, 20; f. 24, 10; f. 38, 6; f. 37, 2), qua re intellegis eius aetate satis tritum hunc usum fuisse.

2) codd.: referēs (A); referres (P); referis (C); ex quibus scripturis recte elicuit Lachmannus formam: referens; neque minus probanda est coniectura Aemilii Baehrens in versu proximo pro 'sed', quod codicibus exhibetur, 'sic' reponentis.

scriptorum Romanorum non invenitur, nisi quod in Ovidii carminibus exstant talia: contrahere vultum (ep. ex Pont. IV, 3, 7); trahere vultum (amor. II, 2, 33).

Iam ad alias res, quae ad syntaxin pertinent, transituris primum nobis afferendum est summa cum licentia comparationis gradus quos dicunt grammatici, inter se permutasse Avianum, cuius rationis exemplis quamquam prima iam exeunte altero saeculo obviam fiunt, serior tamen fabulatoris illius aetas indicatur. Ac maximi in hoc genere momenti est, quod bis loco superlativi comparativum Avianus usurpavit, nam in eius fabulis scripta legimus haec:

f. 4, 5 sq.: convenit hanc potius [1]) liti praefigere causam
pallia nudato decutienda viro.

f. 14, 1 sq.: Iuppiter in toto quondam quaesiverat orbe,
munera natorum qui meliora daret.

De qua comparativi et superlativi apud serioris aevi scriptores permutatione accuratissime egit Woelfflinius in praeclaro illo libro, qui inscribitur: „über die lateinische und romanische comparation" p. 68 sqq. Is igitur, cum iam apud superioris aetatis scriptores, ut apud auctorem belli Africani talia exstare dicat: illustriores notissimique (bell. Afric. 56, 3) et apud Plinium: omnium triumphorum adepte lauream maiorem (hist. nat. 7, 31) et apud Tacitum: ceterorum Britannorum fugacissimi (Agric. 34), exeunte saeculo altero comparativum superlativi loco usurpatum revera inveniri demonstrat exemplis allatis ex Itinerar. Alexandr. 9 (21): quisquis erat prior; ex Herm. past. simil. 8, 5, 6: maior pars = τὸ πλεῖστον μέρος; ex Minuc. Felic. 2, 1: quod est amabilius, all. Qui usus labente magis magisque lingua Latina et ingruente barbarie viguit, ut apud Martianum Capellam saepissime talia inveniantur. Atque etiam Aviano satis usitatus hic abusus

1) sic codices omnes; sine causa Baehrens reposuit 'citius', quae coniectura eis rebus, quas supra attuli, iam satis refutata esse mihi videtur.

videtur fuisse, qua re idem, quod iam saepius cognovimus, demonstratur infimae Latinitatis temporibus fabulatorem illum floruisse.

Nec minus probata tritaque alia constructio, quae inferioris tantum aevi est, Aviano videtur fuisse, quippe quam quater in tam exiguo libello admiserit; dico enim dictionum conformationem eam, qua a verbis sentiendi vel dicendi coniunctionem 'quod' cum insequenti coniunctivo pendentem fecit; de qua structura conferas velim, quae disputavit Draegerus (histor. Syntax d. lat. Spr. II p. 223 sqq.). Apud Avianum autem exempla habemus haec:

f. 1, 1 sq.: rustica deflentem parvum iurgaverat [1]) olim,
ni taceat, rabido quod foret esca lupo.

f. 6, 3 sqq.: ad superos colles herbosaque prata recurrens
mulcebat miseras turgida rana feras,
callida quod posset gravibus succurrere morbis
et vitam ingenio continuare suo.

f. 25, 15 sq.: perdita, quisquis erit, post haec bene pallia credat,
qui putat in liquidis quod natet urna vadis.

f. 35, 1 sq.: fama est, quod geminum profundens simia partum
dividat in varias pignora nata vices.

His certe locis, quin ultra quartum saeculum Aviani aetatem evehamus, prohibemur; nam haec constructio etsi iam apud

1) codd.: iuraverat; Cabeliavius: iurgaverat, quam emendationem recepit Froehnerus. Eandem vero ut a linguae Latinae indole alienam reiecit Aemilius Baehrens (miscell. crit. p. 180), cum 'iurgare aliquem' lectionem agnoscere Latinitatem negaret. Attamen Horatius illa locutione usus est sat. II, 2, 99 sq.:

iure, inquit, Trausius istis
iurgatur verbis;

quo loco in illa locutione eadem sententia est quae hoc Aviani loco, ut valeat: obiurgare; praeterea hac re Cabeliavii coniectura confirmatur, quod eodem vitio perscripta leguntur in libro P: temina: f. 15, 7; iuria: f. 19, 2.

alterius et tertii saeculi scriptores raro exstat, tam late quam apud Avianum videmus, quarto saeculo manavit, nam primus Capitolinus Maximus ex putandi verbo constructionem per 'quod' institutam pendentem facit; qua re et ea, quod tam saepe pro libelli tenuitate structura illa usus est Avianus, facile colligitur eo tempore fuisse fabulatorem, quo iam valebat atque vigebat illa constructio, id quod non evenit ante quartum p. Chr. n. saeculum.

Etiam eis rebus, quas nunc tractare in animo est, serior Aviani aetas indicatur; ut enim omittamus ea exempla, quae aliter comparata sunt [1]), quater eam constructionem admisit, ut faciendi verbum efficiendi notione usurpatum accusativus cum infinitivo qui dicitur, sequatur, cuius rei exempla invenimus haec:

f. 23, 1 sq.: venditor insignem proferens de marmore Bacchum
expositum pretio fecerat esse deum.

f. 26, 9 sq.: vera licet moneas maiora pericula tollas:
tu tamen his dictis non facis esse fidem.

f. 36, 13 sq.: hanc tibi tristis, ait, dedit indulgentia mortem,
expertem nostri quae facit esse iugi.

f. 39, 15 sq.: nam licet ipse nihil possis temptare nec ausis [2])
saevior hoc, alios quod facis esse malos.

1) hos enim versus:

f. 24, 5 sq.: illic docta manus flectentem colla leonem
fecerat in gremio procubuisse viri

ex imitatione Vergilii Aen. VIII, 630 sq.:

fecerat et viridi fetam Mavortis in antro
procubuisse lupam,

Avianus conformavit; alterius constructionis: praef. 24: 'loqui vero arbores, feras cum hominibus gemere, verbis certare volucres, animalia ridere fecimus', alia est ratio; nam 'facere' hoc loco idem valet quod 'introducere'; de qua structura cf. Draegerum histor. Synt. II p. 394.

2) sic recte reposuit Wopkensius; codd.: ausus.

Haec structura, id quod docuit Draegerus (hist. Synt. II, 393 sq.), iam apud priscae Latinitatis scriptores invenitur, aureae temporibus rarissime apud poetas tantum exstat, deinde evanescit usque ad exiens tertium saeculum, cuius aetatis apud scriptores iam saepius eius structurae exempla reperiuntur; et quod tam saepe pro tam exiguo versuum numero hanc constructionem Avianus admisit, inde efficere licet quarto vel quinto saeculo has fabulas esse compositas. Iam hoc velim observaveris omnes fere illius constructionis exempla apud Avianum exstantia ita comparata esse, ut infinitivus verbi 'esse' sequatur isque abundare videatur [1];

1) In infinitivo tractando quoniam versamur, non omittendum arbitror esse hoc, quod constructionem accusativi cum infinitivo quae dicitur summa cum licentia Avianus habuit, cf. f. 9, 9 sq.; f. 33, 5 sq. f. 39, 1 sq. (cf. Kuehnerum Ausführl. Grammatik d. lat. Spr. II p. 517 sq.); f. 22, 9 sq.; f. 31, 1 sq. In eodem numero si quis codicum lectionem sequitur, habeat forte hunc locum, qui in libris sic perscriptus exstat:

f. 11, 7 sq.: ne tamen elisam confringeret aerea testam,
iurabat solitam longius ire viam.

Quae codicum lectio eis qui Avianum ediderunt, magnas molestias videtur exhibuisse, nam nulli fuerunt, qui non codicum scripturam immutarent. Atque quae veteres viri docti invenerunt, haud spernenda sunt; iure enim meritoque pro 'elisam' Barthius 'allisam', pro 'solitam' 'sociam' Neveletus reposuerunt. Verum minus placent, quae recentiores viri docti coniectando protulerunt, velut Cannegieterus, qui pro 'longius, 'comminus' restituit, et Schenkelius, qui librorum vestigiis nimium pressis scribendum censuit: 'solito longius' et Baehrens, qui ita versum correxit:

ne tamen allisam confringeret, aerea testam
urgebat coctam, comminus ire viam;

quorum virorum coniecturae ei quam hac fabula enarratam videmus, condicioni minus conveniunt. Quae illa sit ut accuratius perspiciamus, neglecto hoc disticho depravato, quod totam causam contineat, quaeremus, num haec fabula alio in libro tradita nobis exstet. Ac profecto in fabularum Babrianarum paraphrasi, quam e compluribus codicibus depromptam edidit Carolus Halmius, eandem fabulam invenimus, ubi scripta legimus haec (fab. Aesop. ed. Halm. 422): *χύτραν ὀστρακίνην καὶ χαλκῆν ποταμὸς κατέφερεν. ἡ δὲ ὀστρακίνη τῇ χαλκῇ ἔλεγεν· μακρόθεν μου κολύμβα, καὶ μὴ πλησίον· ἐὰν γάρ μοι σὺ προς-*

nihil enim versus numeris neglectis omissum desideraremus, si ita scripsisset fabulator: 'saevior hoc, alios quod facis malos' vel: tu tamen his dictis non facis fidem.' Ac licet numerorum necessitati in hac re aliquid sit tribuendum, aliud tamen huius constructionis exemplum adnotatum non inveni nisi hoc Sedulii (carm. pasch. IV, 90 sq.):

sic etiam variis finem languoribus esse
fecit,

nam id quod exstat apud Lampridium (Alex. Sever. 10): 'tu facies optimum esse iudicium senatus', aliter comparatum est.

Iam ad finem disputationis ut veniamus, duae constructiones afferendae sunt, quas superiori quam quinto saeculo dare non possumus. Atque primum huius rei exemplum invenimus in fabulae II initio, ubi scripta sunt haec:

pinnatis avibus quondam testudo locuta est:
siquis eam volucrem constituisset, huic
protinus e rubris proferret conchas harenis;

quibus in versibus loco accusativi cum infinitivo, quae structura e promittendi loquendique verbis apta esse solet, coniunctivum Avianus admisit. Huius autem constructionis ante Ennodium a scriptore alio nullum exemplum adhibitum inveni; apud Ennodium vero legimus haec (opusc. V: eucharist. de vit. sua p. 398, 5 sqq. ed. Hartel [1])): promisi etiam, si clarioris studii me per gratiam suam donaret, affec-

ψαύσῃς, κατακλῶμαι, κἂν ἐγὼ μὴ θέλω σοι προςψαῦσαι. Ex qua paraphrasi discimus, non iurasse se longius antecessuram aeream ollam, sed admonuisse testam, ut longius praecederet. Quae sententia etiam in Aviani fabula, qui accuratissima imitatione pressit Babrii vestigia, insit necesse est: quamquam iustam emendationem ne mihi quidem invenire contigit.

1) Consentaneum me indicibus ut Corporis scriptorum ecclesiasticorum ita aliarum editionum permulta debere: quod hoc loco grato animo commemoro. Neque ex Forcellinii lexico me multa hausisse diffiteor.

tus de manu linguae meae confessio ista procederet, de muneribus ipsius ingenioli mei eidem adipem litarem, ut nunquam stili cura de saecularium rerum ventosa executione lanaretur, reliquas etiam, quibus sugillabar foeditates abnuerem, si tamen ipse, quod loqui inspiravit, velle me faciat.' Iam haec constructio, quae quinto saeculo novata videtur esse, paulo frequentior invenitur apud Venantium Fortunatum, qui his locis eam usurpavit: III, 4, 3 ed. Leo: credebam..... fluxisset oratio spiris intertexta: V, 1, 1: indicans.... deus plantasset Elysium, in quo fortior Adam ... ditior viveret; V, 14, 13:

se voluisse dare et iurantes ordine testes
nomine quemque tenens, nec potuisset egens;

X, 3, 4: sperantes.... de vestro caritatis affectu humilitatem nostram..... commendetis; vit. S. Martin. IV, 289:

respondit, cui cura fuit commissa minister,
se toto piscante die captura negasse
(codd. B et L: negasset).

Cuius constructionis initia a promittendi pollicendique verbis profecta videntur inde originem traxisse, quod his enuntiationes condicionales saepissime subiunctae sunt, quarum construendi forma adeo valida scriptoris in animo erat, ut etiam insequentem enuntiationem in hanc formam redigeret.

Alteram autem earum constructionum, de quibus supra commemoravimus, habemus in fabulae XXIX versu XXI:

nolo, ait, ut nostris unquam successerit antris,
tam diversa duo qui simul ora ferat;

ea enim structura, qua a verbo 'nolo' coniunctio 'ut' apta est, tam nova est atque inaudita, ut Draegerus (hist. Synt. II p. 249 med.) eam inveniri neget. Verum extremae Latinitatis temporibus illa constructio exstitit; atque hac re, qua fuerit fabulator ille aetate, demonstratur; nam Draegerus omnium scriptorum, qui usque ad saeculum quartum iniens fuerunt, libros perlegisse se neque tamen ullum illius rei exemplum

invenisse affirmat. Quomodo autem haec constructio admodum mira explicanda sit, idem Draegerus addidit, cum talia exstare diceret: 'prohibeo vel cohibeo, ut'; quam tamen structuram rarissimam esse inde apparet, quod non plus tria huius generis exempla invenit, quorum unum apud Ciceronem, altera duo apud ineuntis saeculi quarti scriptores, Capitolinum et Trebellium, exstant.

Haec sunt sermonis propria, quibus satis demonstratur seriori aevo Avianum assignandum esse neque ultra quartum saeculum eius aetatem evehi posse.

Ita quoniam et rei metricae et sermonis tam multa quarto quintoque saeculo propria in Aviani fabulis inesse docuimus, ut superiori quam quarto saeculo fabulatorem illum attribuere prohibeamur, num certioribus angustioribusque finibus eius aetatem circumscribere possimus, videamus. Quam ad rem uti licet Theodosio illo, ad quem fabulas suas Avianus misit; qui quis habendus sit, si invenerimus, quo fuerit tempore Avianus, facile efficiemus. Atque considerantibus nobis, quae de viro illo Avianus ipse praedicaverit, eum in utroque litterarum genere (i. e. et in oratione pedestri et in poesi) Atticos Graeca eruditione superare et Latina[1]) Romanos, non placet eorum sententiam sequi, qui Theodosium imperatorem illum fuisse censuerunt[2]), sed potius in eorum partes transire malumus, qui de Macrobio Theodosio Saturnaliorum auctore cogitaverunt, in quem illud Aviani iudicium optime convenit. Quae sententia si recta est (ac profecto maximam ea habet versimilitudinis speciem), haud scio an inter Aviani locum hunc: praef. init.: 'dubitanti mihi, Theodosi optime, quoinam litterarum titulo nostri no-

1) Latina: teste Schenkelio (l. c. p. 399 med.) cod. Vindobonensis; cett. codd.: Latinitate, quae lectio minus in sententiam quadrat.

2) Lilius Gyraldus et qui eum sequuntur; cui sententiae id quoque obstat, quod 'Theodosi optime' virum illum poeta allocutus est, id quod imperatori dicere minus decuerit.

minis memoriam mandaremus, fabularum textus occurrit, quod in his urbane concepta falsitas deceat et non incumbat necessitas veritatis', et hos locos Macrobii: comment. ad somn. Scipion. l. I c. 2 § 7: fabulae, quarum nomen indicat falsi professionem, aut tantum conciliandae auribus voluptatis aut adhortationis quoque in bonum frugem gratia repertae sunt; ibid. § 9: ex iis autem, quae ad quandam virtutis speciem intellectum legentis hortantur, fit secunda discretio. in quibusdam enim et argumentum ex ficto locatur et per mendacia ipse relationis ordo contexitur, ut sunt illae Aesopi fabulae elegantia fictionis illustres. ibid. § 10: ergo ex hac secunda divisione quam diximus a philosophiae libris prior species, quae concepta de falso per falsum narratur, aliena est', inter hos locos, inquam, nescio an ratio aliqua intercedat: nam utroque horum locorum idem fere de fabularum genere atque materia iudicium fit atque, id quod magis mirum est, eisdem fere verbis declaratur; qua re eorum sententia, qui Theodosium illum, Aviani amicum, Macrobium esse coniectaverunt, magis etiam confirmatur. Macrobius autem quo tempore fuerit, satis multa testimonia ad aetatem nostram pervenerunt; in codicibus enim Bambergensi et Parisino cum ei viri consularis et illustris titulus ascribatur, nihil est, cur non cum omnibus viris doctis eundem illum esse statuamus atque eum Macrobium, quem anno p. Chr. n. undequadringentesimo praefectum praetorio Hispaniarum (cod. Theod. 16, 10, 15; 8, 5, 61), anno quadringentesimo decimo proconsulem Africae (cod. Theod. 11, 28, 6), anno eiusdem saeculi vicesimo altero praepositum sacri cubiculi (cod. Theod. 6, 8, 1) ex codice Theodosiano discimus fuisse. Quem quoniam, cum Avianus fabulas illas in lucem emisit, iam summam doctrinae litterarumque gloriam consecutum esse videmus, id quod ante annum aetatis vicesimum evenisse haud probabile est, non a verisimilitudine nos aberraturos esse censeo, si circa prima saeculi

quinti decennia fabulas illas Avianum conscripsisse statuemus. Atque quamquam ne de vitae quidem condicione aut genere Aviani quidquam nobis traditum est, hoc certe ex illa epistula ad Theodosium missa colligimus, Avianum, quoniam tam familiariter virum illum amplissimum alloquitur, eodem fere loco atque Macrobium natum atque in intima illius amicitia versatum esse. [1])

Excursus ad pag. XXVII.

In eam rationem metricam, qua pentametri media syllaba licentius habetur, (haec enim res est summi momenti ad Aviani aetatem definiendam) accuratius inquisivimus: sed ne longior fiat disputatio, satis habeamus attulisse eos locos, in quibus eiusmodi licentiae inveniuntur.

Prius autem videamus, quid veteres rei metricae scriptores de hac re praeceperint, cf. Marium Victorin. art. gram. p. 27, 11 (ed. Keil vol. VI); p. 29, 27; p. 35, 21; p. 36, 6; Maxim. Victorin. art. gram. p. 197, 9 (ed. Keil vol. VI); p. 230, 7; incert. auct. d. final. p. 242, 1 (Keil vol. VI), Mall. Theodor. de metr. I p. 587, 12 (Keil vol. VI): Maxim. Victorin. de rat. metr. p. 219, 9; Diomed. II p. 429, 30 (Keil vol. I); Charis. I p. 13—16 (Keil vol. I); Atil. Fortunat. p. 291, 8 (Keil vol. VI); Terentian. Maur. p. 376 (v. 1721) (Keil vol. VI); Censorin. de metr. p. 612, 15 (K. vol. VI); frgt. Bobiense de vers. p. 624, 6 (K. vol. VI); frgt. Sangall. de scans. p. 638, 15 (K. vol VI); id. de pentamett. p. 639, 22; Mar. Victorin. art. gram. p. 107, 12; p. 108, 27; p. 110, 2; p. 110, 23; III, p. 110, 10; Diomed. III p. 503, 4 (K. vol. I); p. 503, 10 sq.; quibus omnibus e locis inter se comparatis discimus ineunte quarto p. Chr. n. saeculo illam de media

1) Ceterum monendum est, me hanc dissertationem iam anno proximo scripsisse; si quid quod interim prodiit me fugit, veniam peto.

pentametri syllaba ancipite doctrinam ad id tempus incognitam a grammaticis Romanis esse novatam, ut, si satis frequenter pro exiguo versuum numero hanc licentiam ab Aviano admissam invenimus, aetati paulo inferiori, cum iam viguisset illa doctrina, fabulatorem illum attribuamus necesse sit. Quae uncinis inclusi exempla, corrupta sunt.

Catullus.

[c. 100, 6]; [c. 68, 158]; [c. 99, 8]; [c. 66, 48]; [67, 42]; [c. 97, 2]; [c. 76, 10].

Tibullus.

[c. II, 1, 58]; [c. II, 3, 16]; [c. II, 4, 38]; [c. I, 4, 44];

Propertius

[c. II, 24ª, 4 (ed. Baehrens)]; [c. V, 5, 64]; c. II, 8, 8.

Ovidius.

[her. 16, 228]; [her. 16, 256]; [ep. ex Pont. IV, 3, 44]; [art. am. 3, 52]; [fast. III, 500]; [incert. auct. ep. Sapph. 182].

Priapea.

[c. 42, 2 (ed. Baehrens poet. lat. min. vol. I).]

Domitius Marsus.

[Meyer anthol. I, 123, 6.]

Carmina cod. Vossian. Q. 86.

incert. auct. eleg. in Maev. fratres (ed. Baehrens vol. IV, 83) v. 16.

[carm. de Atho mont. (Baehrens IV, 71) v. ultimus]

de init. et fin. amor. (Baehrens IV, 60) v. ultimus.

Martialis.

XIV, 77, 2; IX, 101, 4; [III, 3, 4].

Pentadius.

de fortuna (ed. Baehrens IV, 408) 28; [34].

Optatianus Porphyrius.

ed. Baehrens IV, 269 v. 8; 22; 28; 14.

Lactantius Firmianus.

(carm. de av. Phoenic. 166).

Ausonius. (ed. Schenkl).

epigr. 43, 2; parent. 11, 14; her. XII, 2, 28; Stephan. Charpini epitaph. her. al. 36, 2; epitaph. her. XVII, 23, 2; epigr. 22, 8; epigr. 69, 3; par. 8, 10; par. 22, 2; prof. Burdig. 17, 8; ibid. 20, 6; epitaph. her. 33, 4; par. 2, 6; epigr. 32, 10; [par. 32, 6]; Aemil. Arborii (ed. Meyer anthol. 262) v. 82; v. 86; epigr. 32, 10 (ex bibliothec. Georg. Alexandrini).

Claudianus.

(epigr. 41, 3 ed. Jeep).

Prudentius.

περὶ στεφ. XI, 8 (ed. Dressel); ibid. 92; 240.

Martianus Capella. (ed. Eyssenhardt).

VI, 584 p. 197, 25; IX, 907 p. 339, 42; VI, 584 p. 197, 21; VI, 585 p. 197, 31; ibid. p. 198, 9; VIII, 888 p. 331, 13; IX, 888 p. 331, 19.

Orientius (ed. Rivinus Lips. a. 1651).

v. 96; 118; 340; 440.

Sedulius (ed. Basil. a. 1541).

hymn. I, 18 p. 217, 10; ibid. I, 74 p. 220; ibid. I, 36 p. 218; ibid. I, 106 p. 221; ibid. 6 p. 217; ibid. 62 p. 225.

Dracontius (ed. Duhn).

satisfact. 92 p. 83; ibid. 80; 102; 140; 166.

Apollinaris Sidonius (ed. J. Sirmond).

ep. IV, 14 med.

Luxorius (Meyer anthol.).

c. 352, 6; c. 377, 4; [c. 369, 2].

Prosper Aquitanus (ed. Paris. a. 1711).

[lib. sentent. (epigr.) XC (LXXXVII) 4.]

Rufus Asterius.

Ries. anthol. c. 491, 6; (c. 3, 6).

Ennodius (ed. Hartel).

carm. II, 11, 8; c. II, 110, 6; [c. II, 146, 4]; c. I, 7, 20.

Honorius scholasticus.

Ries. anthol. 666, 20.

Symmachus.

Meyer. anthol. 265, 4.

Venantius Fortunatus (ed. Leo).

I, 5, 4; 6, 4; 6, 22; 9, 20; 13, 18; 15, 50; 19, 8; II, 9, 30; 10, 4; 13, 6; 16, 72; III, 6. 34; 6, 38; 7, 48; 8, 44; 9, 88; 9, 106; 10, 16; 19, 10; 23, 16; 29, 18; IV, 1, 14; 5, 10; 10, 16; 24, 12; 24, 76; 24, 116; 24, 138; 28, 10; V, 2, 72; 9, 4; 19, 4; VI, 1b, 32; 2, 108; 3, 32; 4, 10; 5, 346; VII, 8, 60; 16, 44; 22, 4; 24, 2; 25, 16; VIII, 1, 24; 3, 298; 3, 334; 3, 352; 7, 14; IX, 1, 28; 1, 56; 2, 8; 2, 12; 2, 44; X, 8, 10; 11, 8; 12b, 6; 12d, 10; 16, 4; 17, 30; 19, 4; XI, 3, 4; 11, 12; 14, 2; 22a, 6; app. 2, 2; 2, 28; 2, 74; 3, 24; 13, 4; 28, 14; app. spur. 1, 6; 1, 132; 1, 296; II, 16, 74; III, 3, 26; 10, 12; 12, 38; V, 5, 128; 14, 12; 14, 22; VI, 4, 8; 5, 90; 5, 120; VII, 5, 24; VIII, 2, 18; 15, 12; 9, 12; 21, 6; X, 12, 8; 14, 12; XI, 8, 6; app. 3, 12; app. spur. 1, 82; 1, 314; 1, 344; I, 1, 24; 10, 8; II, 6, 46; 8, 20; 12, 28; IV, 1, 8; VI, 5, 312; VII, 8, 22; VIII, 3, 246; 3, 332; 3, 376; X, 6, 30; 8, 6; 12c, 6; app. 2, 48; app. spur. 1, 258; I, 15, 28; II, 16, 42; III, 20, 4; IV, 4, 24; IV, 28, 16; V, 5, 82; VI, 5, 76; VI, 5, 350; VII, 7, 32; VII, 8, 58; VII, 8, 64; [VII, 19, 10]; IX, 2, 138; XI, 23, 6; app. spur. 11, 12; II, 1, 14; III, 18, 4.

Eugenius Toletanus (ed. Rivinus Lips. a. 1651).

IV, 4; VII, 22; VIII, 8; ibid. 10; XII, 3, 28; IX, 2; XII, 3, 32.

Maximianus.

el. II, 26 (ed. Baehrens poet. lat. min. V); el. I, 160.

Haec habemus exempla pentametri mediae syllabae apud poetas Romanos licentius habitae ab eo tempore, quo elegos componere didicerunt usque ad sextum septimumque p. Chr. n. saeculum.